Cl. Salmasii nomine

Simplicii Verini

Ad

IVSTVM PACIVM

EPISTOLA.




Sive

IVDICIVM

De

LIBRO POSTVMO

H. GROTII.



HAGIOPOLI.

Apud Christianum Catharinum;


Anno CIↃ IↃ C XLVII.



SIMPLICIUS VERINUS
IUSTO PACIO
S. D.




Ultum rumorem eſſe ſcribis, Iuſte Paci, de libro quodam poſtumo Hugonis Grotii Suecorum dum viveret legati, quem tamen iam ἀπὸ πρεσβείων diem ſuum conſtat obiiſſe. Petis, ſi viderim, quid de eo ſentiam, deque ipſo auctore. Dicam de utroque, meo more, quæ ſcio, id eſt libere, & quã potero breviſſime, quoniã quin veriſſime ſim dicturus, tu qui me noſti non dubitas. Sic autem dicam, ut ne illi quidem qui viro favent impenſius, haud aliter poſſint dicere, quam ita ſe rem habere ut dixero. Sed de auctore ipſo prius. Ad litteras quod attinet, iam illud non poſſe negari in principio aſſero, quin optime de his meritus fuerit, varii generis ſcriptores illuſtrando qua ſacros qua profanos. Poeta etiã fuit nõ humilis ſpiritus, nec inter poſtremos. Si vis, nec me invito fuerit primus.



Plurimę ſane fuit in componendis carminibus amœnitatis & argutiæ, elegantiæque. In critica, quoniam & eam attigit, ut illis, qui alea ludunt, male aliquãdo res cadit, interdum & bene, prout fert fortunæ ratio, ita huic contigit non ſemper εὐστόχως hunc ludum tentaſſe. In republica qualis extiterit, deterioribuſne an melioribus ſeſe adplicuerit, non eum eſt dicere, nec tu id quæris. Illud notum eſt, partes quas ſequutus non eſt, prævaluiſſe. Si quis infelicitati hoc tribuat, ego prudentiam non probo minus felicem. In religione varius fuit. Vidi cum præter illa quinque capita quibus qui vocantur in his regionibus *Remonſtrantes* à nobis diſſentiunt, cætera ſe nobiſcum facere oſtenderet ac profiteretur. Aut ſi etiam tum ita ſentiebat, ut poſtea ex profeſſo aperuit, miri hominem ſecreti fuiſſe oportet, & ex alto diſſimulatorem, qui tamdiu mente intima repoſtum preſſerit quod circa ultima vitæ tempora demum magna vi in apertum abrupit. Quodcunque ſit horum, de eo dici poſſe video quod de Salomone in Ad-

nota-

notatis ad Vetus Teſtamentum obſervavit, *Cœpiſti melius quam deſinis, ultima primis Diſtant.* Item illa Taciti: *Initia pleriſque meliora, ſed finis inclinat, & multa diuturnitate in ſuperbiam mutant.* Socini doctrinam non improbaſſe, ſcripta ipſius teſtantur, non ea tantum quæ publicavit de veritate religionis Chriſtianæ, ſed multo clarius quæ ad Novum & Vetus Teſtamentum commentatus eſt. Periculum etiam fuit ne ad Pontificos tranſiret ſi diutius vitam traxiſſet. Omnia eius dicta factaque eam inclinationem prodebant. Ea nimia erat quam ut poſſet tamdiu pendere, & non in actum prima occaſione erumpere. Interibi ita ambiguus inter utramque religionem fluctuabat, ut cum neutri ſe daret, non obſcure tamen quam mallet, & quam meliorem putaret, ſignificaverit, qua ſcriptis qua ſermonibus. Ne eam quidem quam magis probare videbatur, totā amplecti volebat. Nonnulla quippe ſibi ad guſtū non eſſe, vix diſſimulabat. Vt difficile ſit coniectare quid ille tandem homo facturus fuerit, aut quid mentis re-

vera habuerit. Iesuitas affectabatur, iis se dabat, eorum familiaritate delectabatur, amicitia utebatur, laudabat eos in scriptis suis doctrinę nomine, pro bonis & ingenuis viris habebat, & optimæ fidei. Quas laudes minime iis convenire quibus dantur, vel meliores pontificii agnoscunt, qui sciunt, deterrimum hominum genus esse, & pestilentissimum, regum inimicum, probis & eruditis infestum, ab omni vera eruditione alienum, Papis addictum, reformationis in Ecclesia abhorrēs, ambitiosum, factiosum, avarum, de solis societatis commodis augendis sollicitum, religionem voto suo accommodans, in summa, bonorū omniū iudicio longe pessimum. Cum Grotius in Gallię regno tamdiu vixerit, tam privatam quam publicā personā gerens, in dignitate etiam maxima positus, familiaritatemque coluerit cum viris honestis plurimis, & honoratis non paucioribus, quibus Iesuitæ optime noti essent, adeo parum eos ipsum cognovisse, sane permirum est. Ad eos melius noscitandos quid ipsi obfuerit, cum ex taliū virorum

rorum conversatione vix videatur potuisse ignorare quales essent istę bestię, si illis quibuscum assidue versabatur auscultare voluisset, non facile dixero. Si iam tum pontificiæ religionis affectum in sinu fovebat, non propterea tamē tā irreligiosam male Religiosorū sectam tam efflictim amare debuit. Nihil enim prohibet, eundem cultui Romano vel adprime addictum esse, & tamen non esse Iesuitarum mancipium. An propter litterarum studium plurimi fecit, iis familiariter adhærere, & arctiore coniunctionis vinculo una cum iis censeri? Ob hoc ipsū ii qui litteras amant, coguntur odisse Iesuitas, quia norunt eos veræ eruditioni bellum indixisse, & omnes eruditos contemnere & deprimere qui non sunt sui gregis & ordinis. Si qui vero sint ex eorum cœtu quos pro hæreticis habent, adeò indignos iudicant qui vocentur eruditi ut nec litteras in illis nec quidquā bonarum artium residere credant posse, qui non per omnia idem cum ipsis circa religionem sentiunt. Ne Catholicos quidem omnes Romanos diligunt,

 nisi

nisi qui in sua verba iurarint, & Parriridali Regum doctrinæ quam profitentur, assensum præbeant. Quibus vero Scaliger asinus est, stipes, stupidus, nec Casaubonus honestiore ornatur elogio, an quisquam iis possit eorum qui hodie vivunt haberi doctus? Solos suos in hoc numero & censu gregales habere consueverunt. Penes societatem suam regnum esse litterarum, & eruditionis summam, extra eam nullibi quærendæ quia nec inveniendæ. Si credidit Grotius ita se iis amicum esse potuisse, ut æqua lance inter se & illos amicitiæ momenta constarent, ut toto cœlo in religione erravit, hic toto solo lapsus est. Ita sunt animati Socii, ut nisi quis omnia largiatur, nihil sibi ab eo datum existiment. Si quis corpus animamque traditione nexu mancipatam ipsis tradiderit, & unius pili libertatem retinuerit, nihil egit. Vel proprio exẽplo edoctus quamdiu in vivis fuit, si oculis suis uti voluisset, facile id potuit perspicere, quod in se expertus est. Nunquam Iesuitas sine elogio nominat in suis scriptis.

Peta-

Petavius eximius vir eſt, Sirmondus ſummæ eruditionis & optimæ fidei. An Ieſuitæ par pro pari ipſi rependunt? Aliquoties eius nominatim meminit Petavius ille in libris de Hierarchia, nuſquam vel cum dignitatis titulo, vel cum doctrinæ merita laude. Hugo ſimpliciter Grotius vocatur. Et hoc magni inſtar elogii debuit æſtimare quod ſine convitio ab eo commemoretur. Latrones beneficium dant, cum viatori vitam non adimunt; contenti crumenam & veſtes abſtuliſſe. Ita Ieſuitæ ſatis laudant, & præcipue protestantem, cum contumelioſe eum non appellant, famæque eius non detrahunt. De mortuo Grotio ſi quis nunc ab illis quærat quid ſentiant, ſervatumne credant an damnatum, nemo eſt eorum etiam quos ille in vita maxime coluit & obſervavit, quin animam eius apud inferos ſæviſſimis ſuppliciis torqueri aſſeveret. Hoc ille lucri retulit ex λυκοφιλίᾳ Sodalium. Et mirũ eſt potuiſſe eum meliora ſperare de illis, cum tam multa ſibi reſervaret credenda quæ illi probare non poſſent.

Baroniũ ipſum quam inclementer tra-ctant, quam libenter & libere ab eius opinionibus diſſident, quia non fuit Ieſuita? An putavit Grotius ſe tali gregi futurum gratioſiorem Baronio, qui tam bene meritus alioquin fuit de Eccleſia Romana, & de ſummo pontifice? Hoc idem ſi præſtitiſſet alter de grege, iampridem in numero cœlitum ſplenderet, & cum Loiola & Xaverio votis fatigaretur. Memini vidique quid acciderit homini Germano, viro multum litterato. Is Lutetiam Pariſiorum venerat, fortunam ſuam male tum ambulantẽ quærens, ſi qua poſſet arte, in ſolido locare. Nam eo venit admodum eſtive viaticatus. Qua levitate ſi in veſte ſit, nihil gratius eo tẽpore anni, ſin in viatico deprehẽdatur, nihil gravius. Cũ alia deficerent, cœpit religionẽ vẽditare. Fortaſſean quia nullam tum haberet certam, de ea ſibi providendum putavit, qua panem, & alia ad victum veſtitumque neceſſaria parare poſſet. Ea autem ſemper melior potiorque cenſetur quæ cultorem ſuum poteſt alere. Vt autem talis mercimonii inſtito-

ſtitoribus nunquam deſunt pararii Ieſuitæ, ultro ſtatim impulſores acceſſere, ut cito faceret quod faciebat, modo non montes auri pollicentes, & omnia à ſe cōmoda novitio proſelyto. Pacta re factaque ex voto utrorumque, miſer ille tamen haud minore eſurie premebatur ſub regno Pontificis quam ſub libertate Proteſtantium. Promiſſores illi ſui deſciverant à compacti fide. De his apud alios amicos, quorum unus eram tum ego, quiritabatur. Omnia fruſtra. Appellati ſponſores dicebant, fac te noſtri gregis, tum nihil tibi deerit: Non tibi lac æſtate novum, non frigore veſtes. Erat is autem qua ab ingenio qua doctrina, ut ſodalem expetere ſibi grex deberet, non pœnitendum utique futurum ſodalitio. Sed ille de religione tantum mutanda cogitaverat, non de regula religioſorum ſubeunda. Cum videret hanc ſpem decoxiſſe, alia via bonum eventum ſibi proſpexit. Romam profectus eſt cum quodam Cardinali, ibique in notitiam primo alterius Cardinalis, deinde & interiorem familiaritatem receptus, in

eius

eius familia nunc gaudet papatu, nec pro eo quicquam debet Iesuitis. Alium scio Germanum non incelebrē, qui inter initiā mutatæ θρησκείας cū se morigerum Iesuitis ad quæ vellent dicenda ac scribenda præbuisset, ubi eos nosse magis intime cœpit, mature capta versoria, nunc tanto odio prosequitur sic meritos, ut facta eorum spurca, & nefanda, toti orbi patefaciat scriptis suis. Quid in illis repererit Grotius, facilius dictu est quam quid quæsierit. Nam quidquid illud sit quod in iis quærendum sibi proposuit, certum est, aut non reperisse, aut reperturum non fuisse. Si propter amorem solum bonarum litterarum exambivit eorum amicitiam, ut frueretur conversatione colloquioque eruditorum virorum, quos societas illa plures habeat, ut nunc nihil dicam quales illi sint eruditi, prius eum scire oportuit, omnes qui se Iesuitis dedunt debere aliorum omnium doctorum consortium abdicare, solos eos magni facere, nulla cuiusquam scripta æstimare, sed ea tantum quæ ex societate prodierint, laudare. Et sane ita etiam

fecit

fecit Grotius postquam consuetudine eorum delectari cœpit, totumque se ea immersit. Veteres exinde amicitias omnes repudiavit ac sprevit. Vt novis amicis gratificaretur, etiam eorum quos olim vivus admiratus ac pæne veneratus fuerat, memoriam insectari adgressus est. Cum sciret Petaviũ infensissimum esse hostẽ Scaligeri nominis, desiit Scaligerum pro docto prædicare, quia Petavio laudẽ eam illibatam servari voluit. Solam igitur elegantiam ei tribuit. Cui viro? Vt non aliud dicam, certe Grotii ipsius olim studiorum fautori, & promotori æstimatorique summo. Scaliger, inquit, *qui multa eleganter loquutus est, pauca moderate*. Ne integram quidem ei laudem elegantiæ reliquit, sed cum diminutione, dum ei vult moderationem defuisse. Ne scripsisse quidem dicit eleganter, sed loquutũ esse. Elegans vir fuit Scaliger, sed immodestus. Doctus igitur solus Petavius, & modestus, Scaligeri διάπυρος adversarius, postquam Grotii amicus factus est, abiecto vetere, qui iam tantum cinis est, & fabula

bula Grotio. Casaubono pro vetere consuetudine non aliam gratiam retulit, dum novā Iesuitarum cupit ac præfert gratiam. *Bilis eum non expertē fuisse* scribit. Iesuitæ nimirum & Petavius inter illos nihil habent bilis. *Eundem* ait *nimis ostendisse, sibi suas incurias leves non videri, præcipue instigante Scaligero.* Fatetur ibi tamen, hostiliter à quibusdam tractatum fuisse Casaubonum. Cur non aperte dixit à Iesuitis quibusdam? Cum Cacodæmon Iohannes Cretensis laqueo digna calumnia exprobrasset Casaubono, patrem eius suspendio vitam finisse, an id tacitum preterire debuit, & agnoscere rem ita se habuisse? Quod hanc ignominiā familiæ suæ ac natis natorumque natis inustam merito pati noluit, iudicio Grotii iniurias suas nimis magni æstimavit Casaubonus. Cæterū hac una excepta amaritudine, qua horribilem infamis cacodæmonis Loiolitæ imposturam à se suisque repulit, quid non moderati in Casaubono fuit? Peccasse ut potius in hanc partem videri possit, dum controversias tractat, quam nimis

nimis inclementer exagitasse errores Ecclesiæ Romanæ. Falsum etiam illud Grotii, instigante Scaligero ita tum scripsisse Casaubonum, cum iam pridem è vivis sublato eo heroe, ad rescribendum Annalibus Baronianis sese accinxerit. Possum & varios percensere, quos cum exosos Iesuitis esse videret Grotius, sibi quamvis olim dilectos, deserere maluerit, quam offendere bonos socios quibus factũ volebat. Nõ suavitatem consuetudinis, aut conversationis litterariæ voluptatem in illis captasse videtur, quam nullam certe ex eorum familiaritate cepisset, si hoc tantum quæsisset. Quid igitur voluit, aut quid ab his potissimum expetendum ac optandum sibi proposuit? An cum à nostra religione desciscere cuperet, & in Romanam adscisci, ab eo quoque tempore Iesuitis auspicatus est subblandiri, & plausum eorum captare, qui eius religionis quasi lapides nunc esse videntur angulares? Quasi vero necesse sit, Romanam persuasionem capessentibus, etiam sacramento dicere Iesuitis, & eorum

disci-

disciplinam adfectare. Quod idem esset, ac si quis non contentus favilla & fuligine carbonariorum denigrari, tætra coloris nocte quæ in Mauris conspicitur, totum sibi corpus vellet infici. Si quid enim impurum est in Pontificia religione, id triplo in secta Iesuitarum impurius apparet. Parricidalis doctrina, æquivocationes, Pelagianismus, & alia multa prava dogmata, aliis Catholicis Romanis odiosos eos reddunt, multis etiam execrandos. Fundamentum ipsum sectæ & institutum ab auctore Hispano, Hispanicæ sẽper factionis retinens, Gallis merito suspectum & invisum, nec minus Batavis. Quo magis mirum, Batavo Grotio societatis Hispanæ congreges tantopere gratos esse & caros: An hoc ipsum in iis exosculatus est, postquã in patriam alieniore esse animo cœpit? Quod Pelagium sapit eorum doctrina de gratia, & libero arbitrio, fortassean & iisdem ideo propensius suffragatur, Augustino eo quoque nomine iniquior, de quo non dubitavit scribere, *sæpe retractationes eum facere,*

sed

sed in peius. De Beza iam non miror, quod laudes quas iuvenis & poeta in illum olim haud parcente manu cōgesserat nunc ita revocet, ut sepultas cum eo velit, à nemine posthac excitandas. Et hoc ex disciplina Iesuitica, quæ non potest ferre laudari quēquam ab ullo cui hæreseos crimen impingat. Hæreticus est illis aliquis? Ne sensus quidem communis illi relinquendus, nec hominis nomine dignus est. Ad Calvinum quod attinet, non Vatinius maiore in odio suis olim fuit quā ille est Grotio. Serveti præcipue damnatio ab illo procurata tantas odii tam crudelis faces in eius animo suscitavit. Putes eum iisdem ignibus uri, & ab illa flamma quasi ambustum excandescere in auctorem rogi, quo crematus est infamis hæreticus, & ἀρνησίχριστος. At Pontificii ipsi, Iesuitæ dico ipsi, Calvinum pro eo facto nunquam damnarunt. Servetum quinimmo potius recte condemnatum confitentur. Cur igitur tantopere ei dolet supplicio tali affectum hominem talem? An aliquid simile in

ipſo fuit, quod ſimilem pœnam poſceret, aut metueret? Viderint alii. Suſpectum mihi eſt merito toties repetitum & reprehenſum cum tanta virulentia iudicium illud. Etiam magnus Cardinalis Richelius bona intervalla habuiſſe Calvinum fatebatur. Addit Grotius, debuiſſe eum addere, *& rara*. Scripta eius contemptim etiam conculcat, cum ego malim me vel unicũ librum Chriſtianarum Inſtitutionum Calvini ſcripſiſſe quam quidquid eſt à Grotio ſcriptum. Nec ferenda vero ſunt quæ debacchatur in principem Mauricium. Quæ cauſa eum inſtiget, ſatis apparet: Uritur & loquitur. Demus quod iniuſte damnatus ſit Barneveldius cum aſſeclis ſuis, quorum inter primos Grotius. Non eum ad Chriſti exemplum revocabo, quamvis ex Socini præſcripto non venerit niſi ut viam ad mores bonos vita ſua & morte nobis præiret. Non ad primæ Eccleſiæ Chriſtianos qui mortem pro eo cui nomen dederant, tam patienter, tam fortiter, paſſi ſunt. Ad Socratem voco. Contendamus Socratem & Grotium, hunc

hunc perpetuo carceri, istum morti iniustæ iniquorum iudicum sententia addictum. In pœna dissimili quam dissimilem animum uterque præstiterit si consideremus, Philosophum gentilem Christiana fortitudine mortem tulisse, Christianum vero carceris pœnam ne philosophica quidem καρτερία concoxisse, non nemo mirabitur. Socrates, cum multo ante quam supplicium subiret, sententiæ de suo capite latæ certus fuisset, non questus est de suis iudicibus; non iudicium illud infandum aut iniustum quiritatus est, ne accusatoribus quidem suis male precatus est. Sanctissimos in carcere cum amicis & gravissimos sermones habuit, & philosopho vero dignam, id est Christiano, cõstantiam usque ad finem ostendit. At hic noster in his omnibus qualis? Pudet dicere. Quid si quis dixerit pœnam eum iuste meruisse quam tam iniquo animo se ferre ubique declarat? Profecto si talem semper animum habuit qualem se habuisse credi vult; de nostris cum Papa conciliandis, merito eas pœ-

nas luit, dignus qui ſine fine eaſdem in carcerem perpetuum retruſus penderet, atque etiam triſtiores ſufferret. Hoc conciliandi ſtudiũ quale ſibi eſſe præ ſe fert, non poteſt hominis eſſe, niſi iam pontificii, aut iam iam futuri. Nullus autem in Batavia Pontificius, niſi idem & Hiſpanus, Hiſpani vero pro perduellibus hic habentur. Non hominẽ iudico, ſed dico quid de illo poſſint ſuſpicari & iudicare reliqui homines. Quid facturus fuerit, ſi diutius poſt editum hunc librum vixiſſet, non obſcure indicat. Cum ante nulli communioni addictus viveret, nec ullius Eccleſiæ viſibilis membrum eſſet, ſymbolis corporis & ſanguinis Chriſti nec apud hos nec apud illos communicaret, talem Dei cultum ſine ſymbolorum communicatione Diſſertatione publicè evulgata defendere auctoritate Tertulliani conatus eſt, qui tamen recte acceptus nullo modo ſententiæ eius ſuffragari poteſt. Refutatus eſt à Petavio Ieſuita. Et merito ſe refutatum cum in hoc libro fateatur, ſcriptumque illud revocet, nec pro
ſuo

ſuo amplius agnoſci velit, quid deinde decreviſſet facere, hoc modo aperit. Nẽpe ut iam ſeſe alicui cõmunioni per ſymbola communicantium in poſterum adiungeret. De pontificia eligenda neutiquam dubitaſſet, cum noſtræ ſeſe adeo infenſum infeſtumque ubique prodat, pontificiam mirifice laudet & probet. Eiuſdem certe hominis eſt Batavos velle cum Papa reconciliare & cum Hiſpano. Utrumque ut ex eadem officina prodit, ita eundem ſonat artificem. Iugum Hiſpani & Papæ, eodem tempore & animo excuſſimus, utriuſq; tyrannide rempublicã & religionẽ liberare ſimul aggreſſi. Grotius neutram iam in nobis libertatem videtur agnoſcere, dum de nobis ita loquitur, quaſi non liberi revera eſſemus, nec vere reformati. *Illi*, inquit, *qui ſe Reformatos, illi qui ſe Liberos dicunt*, eodem ut apparet utrumque ſenſu uſurpando. Non *Reformatos* nos eſſe vult, cum noſmet ipſos dicamus, quia nulla fuiſſe opus cenſet reformatione, & eam quam inſtituimus male factam eſſe contendit. Ideo ea relicta ad Ec-



clesiæ gremium à quo recessimus, nos redire compellit. Si tam male liberi sumus quam male reformati eius iudicio videmur, sequitur, ut etiam debeamus repetere dominationem Hispanicam, cui adhuc de iure subiecti censemur, cum nos liberos falso dicamus. Hoc certe velle omnino videtur, non iustiore titulo libertatẽ nos asserere nobis in Republica, quã reformationem in religione, ac parem utriusque esse rationem, quæ etiam utrobique exigat, ut tanquam servi fugitivi ad legitimos ac veteres dominos redeamus. Si quis est qui putet ita eũ intellexisse, nos non liberos esse, quia servitio premimur haud æquiore quam si regi Hispano serviremus, calũnia est quę non impunita manere ipsi debuit. Libertate hic nimia laboramus, quæ in licentiam erumpit passim. Nulla hic viget inquisitio fidei. Legum vigor minus etiam valet quam par est. Auctoritas principis Arausionensium maxima est, sed auctoritas est, non potestas. Ea penes Ordines residet. Quam non omnia pro imperio agat quæ velit, etiam cum

iusta

iusta desideret, posset multis exemplis probari. Principatum patri eius Wilielmo paulo ante mortem delatum voluere Ordines communi consensu. Diploma decreti adhuc in archivis servatur. Princeps Mauricius post supplicio affectum Barneveldium, poterat sine ullo negotio sibi vindicare supremam in republica auctoritatem, sed amicos consilium ut id faceret dantes, cum re ipsa reiecit ac respuit. Et tamen hic est quem dicit Grotius peius de libertate harum provinciarum fuisse meritum quem Regem ipsum Hispanum. Ita Grotium Pontificiis malle quam Reformatis, scripta eius postrema clare vociferantur. Quod autem Iesuitis se tam bene velle ostendat, ex eo etiam liquido patet, aliquid plus ipsum esse quam Pontificium. Laudes quas in eos omni occasione congerit, ita inepte excusat ut pæne ridiculus sit. Non omnes à se laudatos Iesuitas ait, sed *quorum & mores & eruditio laudem merentur*. Eos *vero qui in Gallia sunt, pro talibus habere*. Alius etiam eos qui in Hispania sunt pro talibus ha-
 bebit,

bebit, & alius idem ſenſerit de Italis Ieſuitis, alius de Germanis. Sic omnes erunt boni Ieſuitæ ac laudandi. *Quales*, inquit, *eos reges Galliæ qui eos optime norunt volunt exiſtimari, id eſt, pro bonis civibus.* Hoc etiam plus quam ridiculum. Non ſenſere ſemper bonos Ieſuitas reges Calliæ, cũ duos ex his eorũ nefario parricidio Galli amiſerint, & doctrina eadẽ maneat in omnibus quæ regibus perdundis comparata eſt. An optime Ieſuitas noverint reges Galliæ neſcio; ſed non bene eos ipſis notos eſſe auſim affirmare ſi pro bonis civibus illos velint exiſtimari. Sic velint Gallię reges, ſic iubeant, ut omnes Ieſuitæ qui in eorum regno ſunt boni habeantur, idem de ſuis ſi ſtatuerit Rex Hiſpaniæ, & Rex Poloniæ, & alii reges & reſpublicæ, hoc modo nullus in Europa fuerit Ieſuita non bonus. At in ditione Venetorum nec boni nec mali ſunt. Eo facto, quod nec bonos nec malos Ieſuitas intra ditionis ſuæ fines uſpiam comparere voluerit illa Sereniſſima Reſpublic, pro qualibus eos haberet, oſtendit. Futilem etiam

addit

addit rationem, cur Galliæ Iesuitas pro bonis habeat, quia societatem quam Rex Galliæ cum Suecia habet *non improbarent.* Cur non dixit quod probarent? Hoc potius debebant, ut sic magis gratificarentur Legato Suecico. Aeque enim potuerunt apud eum simulare quod probarent quam quod non improbarent. Bonus vir sane fuit Hugo Grotius, qui IesuitisGallis dicentibus se non improbare fœdus Suecicum, tã facile crediderit. Addit etiã, ideo bonos sibi visos quod pacem Ecclesiasticam cupienti sibi consilia optima potuerint suggerere, utpote quibus & præsens Ecclesiæ status, & antiquior historia percognita sunt. Ergo eos audire parabat in Ecclesiastica pace restituenda Grotius, ut viros eruditos, antiquitatis gnaros Ecclesiasticæ, & status præsentis Ecclesiæ. Haud obscurum est ex his, qualem nobis instaurare conciliationem cogitarit, cum eam ex consilio Iesuitarum administrare destinaret. Vellem nunc me audire posset Grotius & viveret, dicerem illi, si qui boni sunt in Gallia

Iesuitæ, eos revera esse qui boni cives videantur, & Regi regnoque faveant Gallicano contra Hispanum: verum rarissimas has visu esse aves in Gallia ista cum pluma & pinnis. Si qui sunt, bonos quidem eos dici posse Gallos, sed non esse bonos Iesuitas, cum eorum institutio ab Hispano sit fundatore tota Hispanica. Generales eorum nulli fiunt Galli, sed aut Itali aut Hispani. Nullos ex suo ordine cælites faciunt Gallos, sed omnes Hispanos Xaverios, Hosios, aliosque præter ipsum Loiolam. Gallos non alios hoc honore afficiunt ut inter divos referant, nisi si qui regũ suorum sanguine manus sceleratas commacularint. Quid mirum porro, quod Grotius stari velit opinioni Regũ Galliæ, si existimatio agatur de probitate Iesuitarũ, cum eisdẽ regibus, quia *Christianissimi* dicti sunt, credi debere asserat, Imagines esse adorandas, quia eas adorant, Martyrum intercessionem ad preces Deo allegãdas esse necessariam, quia eorum preces non inutiles ad Deum & Christum iudicant? Regum igitur deinceps persuasio pro regula erit cuili-

bet

bet Christiano quid sequi debeat & quam fidem habere de rebus in religione maximi momenti, præcipue si aliquo donati reperiantur à populis suis cognomento cui rei sacræ ac venerandæ insit notio. Cum verbum Christi mundo adnuntiaretur, principes orbis Romani *Augusti* & Σεβαστοὶ vocabantur, *Sacra* eorum *rescripta* & epistolæ, *divina oracula*, *numini* eorum *maiestatique devotos* se subscribebant subiecti. Ergo opponi illa debuere novam prædicantibus religionem, ut ea sola observanda traderetur quam colerent principes eorum, cum adeo reverendis cognominibus. Iudæi reges suos *Vnctos Dei* nominabant. Cur non hodie Iudaizamus, & unctorum Dei religionẽ amplexamur? Imperatores Christiani etiã eo tempore quo ad perfidiam Arriani dogmatis subiectos suos adigebãt, χριστιανικώτατοι nuncupari solebãt atque εὐσεβέστατοι. Hæretica illa sententia pro vera & orthodoxa eo nomine haberi debuit, quia à Principe Christianissimo dicto talis haberetur. Videtur Grotius, ut ex his non vane colligo, in ea opinione

nione fuiſſe, ut ad principum religionem teneantur ſe componere ſubditi, qualis qualis ſit. Quæ etiam opinio fuit Archiepiſcopi Spalathenſis in poſtremis libris. Eos excipiebat qui ſe interiore vocatione deſtinatos à Deo ſentirẽt veritati fidei tuendæ & exponẽdę ut libere eam profiteri poſſent & interpretari. Sed hos ad eas gẽtes proficiſci oportere ubi eã explicandi libera eſſet poteſtas. Cęteros quos talis vocatio non attineret, ita locorum in quibus verſarentur, & principum quibus ſubiacerent, mores & ritus in ſacris obeundis externa ſpecie ſequi debere, ut intus & in pectore id quod putarent verius, poſſent tacito cultu cuſtodire. Veniamus ad laudabile & inſigne opus quod argumentum & titulum operi iſti poſtum præbuit. De hoc etiam præcipue quæſiſti. Votum pacis eſt, contra ſchiſma. Specioſa res contra admodũ fœdã ac dãnaudã. Sed non ſemper ea ſunt quæ videntur, & frons prima decipit multos, & ipſa appellatio nõ attendentem fallit quid in re ipſa ſit, & quid in interiore angulo lateat. Quis
non

non votum pro pace Ecclesiæ facere debet? Quis non schisma abominari? Hoc quidem sic enuntiatum primo aspectu oculos mentesque omnium ferit. Si ad interiora introspicienda admissi videamus non omne schisma esse fugiendum, nec omnem pacem expetendam votis, an quod viderimus, non etiam sequemur? Quid si necessario schismate unitas pestifera evitata est? Nonne hoc fieri debuit? Si maior pars gregis scabie infecta sit, qui sanam inde abstrahet ne contagione corrumpatur, an male faciet? Bellum nos Batavi una cum gẽte tot annos pro libertate gerimus. Si quis nunc nobis auctor esset belli istius pace mutandi, quæ nostras cervices Hesperii tyranni iugo supponeret, an eum audiremus? Quis bonus civis, & patriæ amans, & libertatis cupiens non prȩferendum hoc bellum putarit adeo iniquæ paci? Proponat nobis aliquis ex parte Regis Hispani conditiones pacis quibus liberi agnoscamur, & nostri iuris, statim eas accipiemus. Idem est in causa religionis. Depulimus magno labore
Papalis

Papalis tyrannidis iugum cum omnibus cærimoniis & traditionibus humanis quibus avorum ſuperſtitio ſimplicem Euangelii veritatem infuſcaverat. Ab eo tempore multos per annos plurimas animi corporiſq; cõtentiones ſuſtinuimus pro ſinceritate fidei, & cõſcientiarum libertate conſervanda. Si æquis conditionibus vocemur ad unitatem eam & pacem redintegrandam, parati ſumus accedere. Sin aliud agitatur, & ad eadẽ vincula ſervitiumque quod evaſimus ſub prætextu reconciliationis trahimur, πόλεμος ἐρπέτω. Bellum tali pace melius, & ſchiſma tali unitati longe anteponendum. Videamus qualem pacem Grotius velit, voveat, & proponat, eamne ipsã quam iam ſchiſmate prorſus neceſſario fugimus, an illam quam æque atq; ipſe votis ardentibus expetimus. Si ad illam eandem quam iam abrupimus nos iterum compellit, nugas agit, & fruſtra fringultit. Sin æqua omnia nos iubet ſperare, ut à ſchiſmate diſcedamus, ut in veris conciliaturis fieri adſolet, non inaniter ea de re nos compellat.

pellat. Procedant põtificii in medium, nos etiam ad eos promptè accedemus. Concedant Ecclesiam multis sui partibus reformationis indigere, & de erroribus eius emaculandis serio se sollicitos esse ostendant. Multa & ipsi vicissim condonabimus ac remittemus eorum quæ nimis ad vivum resecavimus. Indifferentia pleraque συγκαταβατικῶς, & pacis tenendæ studio & unitatis sarciendæ gratia, largiemur. Papa ipse qui causam dedit principalem scissuræ qua divulsa est Ecclesia Christi, & dispulsus in diversa grex eius, de suo fastigio descendat, & æquo se campo committat in ordine reliquorum Episcoporum, sententiam quoque suam in medio fratrum dicturus super negotio reformationis. Hæc si fiant, bene sperari potest de conciliatione. Si Grotius hanc viam inierit restituendæ concordiæ in Ecclesia discissa, noster est, & nostrum illi calculum addimus. Sed longe aliam sibi esse mentem toto isto scripto de quo sententiam meam exquiris, ostendit. Moderationem ubique commendat & moderatos laudat, cum nihil

nihil in eo moderati appareat. Ita quod verbis profitetur, re ipsa infirmat. Quam impotenter & acerbe in Calvinum invehitur, in Bezã, in alios reformatores? Reformationẽ noſtrã paſſim ſuggillatam condemnat. Nihil recte, ſi eum audias, à noſtris reformatum eſt. Omnia in religione Romana etiam praviſſima defendit, ineptiſſima colorat, ſtultiſſima excuſat, vitioſiſſima purgat, duriſſima emollit, graviſſima elevat, craſſiſſima deglutit, crudiſſima concoquit, impiiſſima tolerat. Caſſandri ad exemplũ ſe properare in hoc negotio componendarum religionum dicit, cum nihil ſit ſimile. Caſſander revera vir probus & candidus modeſtuſque, & unitatis ſtudioſus, ſchiſmatis fugitans, bono animo ac ſedulo egit, quidquid in eam rem operę contulit. Ex partibus adverſariorum pontificius ipſe veniens, & è caſtris ſuis longius progreſſus, per multum itineris ſpatium nobis ultro obviam occurrit, amice ad concordiam invitavit. Cuius ſpem ut faceret, fiduciamque proniorem, multa deformata & reformanda agnoſ-

agnoſcit: ita plurima excuſat, ut etiam alia non pauca incuſet. In ſumma, ab hoſte non potuere meliora aut molliora ſperari vel expectari. In Grotio quid comparandũ? Ille inter nos educatus, & noſtra edoctus, ad partes adverſariorum profugus, inde nobis pacis & unitatis leges & vota dictat, duriſſimiſque nos conditionibus alligare contendit, nihil non probans in rebus hoſtium, omnia in noſtris reprobans. Inimicum de induciis & fœdere colloqui volentem nemo reiicit. Sed quis ferat transfugam, tametſi paria promittat, leges pacis ex parte inimicorum proponere auſum ſuis? Nihil aliud eum velle ac vovere apparet quam ut transfugæ una cum ipſo ſimus. Si perſuaſiſſet pluribus id melius eſſe quod ſequi ipſe parabat, multo confidentius & plauſibilius hoc ſe facturum ſperaſſet. Et video, pluribus hanc incidiſſe cogitationem, ſe maiore cum prætextu plauſuque ad pontificios eſſe tranſituros, ac minore cum ignominia religionem quam à teneris imbiberant deſerturos, ſi conciliationis ſtudium ſimula-

mularēt,quo,si per succederet,cū lōgo agmine conversorum gloriosum, & gratiosum receptum ad eos quos petebant haberent. Ita fecit in Polonia Nigrinus, propter quem hodie Toronense colloquium de cōciliandis adversis partibus Protestantium & Pontificiorum tam frustra habetur, quam irritum abibit. Ita Codurcus & Milterius, qui postquā diu hoc saxum sudantes conciliationis versarunt, soli sine comitatu ad hostes transvolarunt. Eodem curriculo festinabat Grotius, sed mors eum prævenit priusquam ad optatam metam perveniret. Hoc enim proprium transfugarum, ut quam plurimos possint à suis abducant, & ad hostes adducant. Non alio sane consilio Grotius numerum comitum sibi adjungere omni ope satagebat,ut cū pompa magna se suosque ad contraria castra traduceret. Stultus esset qui marito post repudium uxori missum ob impudicos mores, suadere conatetur, ut talem reciperet qualem repudiavit, non repromissa ex parte uxoris anteactorum pœnitentia, & vitæ prioris emenda-

datio-

datione. Stultior est qui nos in gratiam & unitatem redire iubet cum ea Ecclesia à qua ceu meretrice divortium facere coacti sumus, ob impuritatem eius rituum pravitatemq; dogmatum, qui nobis non etiam spondeat pro ea mutationem in melius, purioremque in posterum cultum, cum reformatione priorum errorum. Gravissimum eius peccatorum est, vel unum ex gravissimis, quod, cum Christi sponsa sit, qui caput eius unicum semper esse debeat, ut vir mulieris suæ caput est, peccatorem hominem in eius locum substituit, & toro mœchum recepit. Quis tantus auctor nobis persuadere posset, tametsi aliud nihil esset quod de ea queri possemus, ut cum tali Ecclesia reconciliemur, non abiecto prius subsessore qui locum tenet legitimi sponsi? Hic est Grotius aliique ἑνωτικοὶ, tam inceptu improvidi quam successu vani. Nisi utile est quod facis, inquit vetus senarius, stulta est gloria. Maior stultitia est id facere velle, quod impossibile est, & quod si possibile sit, non solum inutile sed etiam damnosum

Ecclesiæ sit futurum. Difficultatem eius nec ipsi dissimulant conciliatores. Quin etiam aliquando de eo cum ipso Grotio sermonem habens, cum ab impossibili non differre quod ille & eius similes aggrederentur ostenderem, id fatebatur, sed addebat, quod hoc tempore fieri non posset, fortean aliquando futurum, aut profuturum saltem. Hoc vero est, dicebam, non serere arbores quæ alteri sæculo prosint, sed id tentare quod nunquam fieri possit, & quod si fiat nihil perniciosius eo fore sit iudicandũ. Quod enim agitarent, nõ esse reconciliationem, sed veterum errorum confirmationem. Præterea imprudentiam esse summam ac viris eruditis indignam, quasi alea ludant, in casum verba iacere, & rem omnium gravissimam proponere faciendã, cuius tamen exitum ignorare se fateantur aut desperare. Integras partes infectis addere velle, non est morbo mederi, sed maiorem facere dum omnes pervadit. Ea demum scissura magna est, ac deflenda, cum omnis Ecclesia in errorem conspirat, cum nihil sani est in eius

cor-

corpore quod ſeparari queat ab inſano. Ea profectò unitas qua conſentitur in pravum omni ſchiſmate triſtior eſt. Licuiſſe ſibi dicit ad publicum incendium reſtinguendum aquas afferre. Sed vereor ne in tumultu ac ſtrepitu aquam clamantium præ nimia invandi feſtinatione ac deceptus errore ſeriolam olei in angulo iacentem pro ſitula aquæ in ignem effuderit. Videtur ſane trabes deiectas, & ab incēdio iam tutas, ardentibus voluiſſe adjicere. Immo fratres ſuos ſecum, qui pæne ambuſti ex eo incendio iam evaſerant, vi correptos in illam flammam rejicere contendit. Hoccine eſt aquas adferre reſtinguendo igni, quem minorem nulla re facere coneris? Non ignem tantum extinguit qui aquam injicit, quo plerumque maior & acrior exſurgit, ſed qui materiam demit, & ſubtrahit. Ecce domus Dei ardet, nempe Eccleſia. Idololatria, tyrannis, errores infiniti ignem illum conflant. Tu adgregando plures qui in eam idololatriam conſentiant, qui tyrannidi faveant, qui foveant errores, putas te in-

cendium bona fide restinxisse? Magius fecisti. Tolle idololatriæ caussam & materiam, errores repurga, tyrannidem excute, sic incendium sine aqua restinxeris, detrahendo flammæ alimenta. Ecclesia continua & ardente febri laborat. Non nutriendo abscedet, & cibos liberaliter indulgendo, sed sanguinem mittendo, & humores peccantes purgando. Sane morbus, quo hodie ægrotat Ecclesia Christi, non additione sed detractione curari debet. Sanitatem hoc putat Ecclesiæ corporis Grotius si omnia eius membra per totum orbem dispersa eadem ægritudine tententur, si nullum morbo vacet. Hoc vocat reconciliationem, si ii, qui se segregarunt à scabiosis, in eundem iterum gregem reducantur, nondũ à scabie sanatum. Nihil esset facilius hac reconciliandi ratione. Redeamus omnes unde venimus. At scabies vitata, iterum reduces occupabit. Quid inde mali? Cum aliis, qui simili lue vexantur, in pace vivemus. Nihil nobis exprobrabunt, nihil nos illis. Difficulter tamen hoc

hoc ab illis impetrabitur qui iam longa assuetudine didicerunt quale bonum sit scabie carere. Vtrum iustius est, ut quos deseruimus sanos se reddãt si nos ad se redire velint, an nos, qui iam sani sumus, de sanitale sua parum sollicitis iterum adfricemur? Illud potius. Quemadmodum nobis iustam causam à se abeundi dederunt, dent etiam causam ad se redeundi oportet, & quidem priori contrariam. Morbus eorum nos eiecit, sanitas reducat. Si sibi placent in suo malo, nos in nostro bono gloriamur. Hinc inexpugnabilis difficultas partes divisas iterũ coniungendi nascitur, cum utraque in contrarium nitatur. Nihil illi concedere volunt, nec nos accedere nihil concedentibus. Conciliatores qui ex nostris erant, in medio aliquamdiu sine spe prædæ morati, multa moventes nihil promoventes, ubi perfrixere, ad calidiores se partes adplicarunt, quibus nimirum culina magis fervet. Nunc vero volo vicissim & ipse partes conciliatoris agere, & in numerum ἑνωτικῶν nomen meum dare, ac modos con-

ciliationis proponere qui mihi maxime idonei videntur, & ſoli efficaces eius promovendæ. De facilitate eorum nihil promitto, de eventu multo minus. Id quod fieri convenit exponam, ſi quando ſerio & ſincere agi contingerit de compellendis in unum gregem fidelibus. Non enim aliter ſincera & cum effectu aliquo bono peragenda poterit procedere conciliatio. Ante omnia Papa removeatur, aut in ordinem Epiſcoporum redigatur, ut ſupra eos nihil amplius habeat poteſtatis pręter primatum ordinis, ſed omnes inter ſe pares ſint, ut ab initio introducti in Eccleſiam Epiſcopatus fuere. Vbi ſic exęquati fuerint, poſtmodum etiã amoveantur omnes, nõ enim poteſt ſtatim, & uno ſaltu omnium reformatio perfici, & reducatur regimen presbyterale, quale ab Apoſtolis ex Chriſti præcepto inſtitutum fuit, ne iterum reſurgere inde tyrannis Eccleſiæ poſſit rediviva, quæ originem ab Epiſcopatu cepit, & in eo radices habet. Reducantur ſacramenta ad antiquum numerum, uſum & modum, ut à Chriſto liquet

in-

institiuta fuiſſe, ab Apoſtolis eſſe celebrata, & à primitivę Eccleſię hominibus per aliquot ſæcula obſervata. Doctrina etiam de his vetus reſtituatur. Sic Tranſubſtantiatio monſtrifica una abolebitur, Miſſę ſine communicantibus evaneſcent, & Canon miſſæ abrogabitur, qui ſancit, eam oblationẽ fieri pro aliis vivis & mortuis. Aliæ cærimoniæ cum his ineptæ, ridiculæ, impiæ, ſimul concident. Invocatio ſanctorum de medio recedat, quia nemo mortalis & mortuus, honore divino afficiendus eſt. Quia nemo invocandus niſi qui deſideria noſtra intelligere & implere queat, quorum illud omniſcientiæ eſt, iſtud omnipotentiæ. Vtrumque autem in ſolum Deũ cadit, propterea & ſolũ invocandum cum Chriſto ſuo. Quia nullum præceptum habemus de invocandis ſanctis, & habemus mandatum de uno Deo adorando. Quia Eccleſia prima & Apoſtolica nullos ſanctos invocavit: & cum non haberet quos invocaret, ſi neceſſarium id ſaluti iudicaſſent Apoſtoli eo tẽpore Patriarchas invocandos præcepiſſent. Quia illi ipſi

ſancti nunquam ſuccenſebunt ſe non invocantibus, ſed ſolum Chriſtum, pro quo & paſſi ſunt plerique eorum, & quem ſolum eſſe invocandum ipſi dum viverent docuerunt. Nunc vero nolunt hunc ſibi honorem haberi contra doctrinam quam prædicarunt, & in præiudicium honoris ſoli Deo debiti. De antiquis & veris loquor. Nam quod ad novitios attinet, novoſque cælites iſtos, ii nobis ὡς Μεγαρεῖς οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. Angelorum cultus & invocatio, non magis recipienda quam mortuorum. Quia Dii non ſunt, ſed Dei miniſtri. Quia plures Dii colendi non ſunt, ſed unus. Quia hanc θρησκείαν Synodus antiqua vetuit. Quia Iudæi ſimiliter inter Idololatras percenſent qui Angelos adorant aut invocant. Quia cum miniſterium hoc habeant ut fidelium preces Deo offerant, ſponte & non rogati, ſi iuſtæ ſint, & ſanctæ, ſolent eas deferre. Iniuſtas & profanas, ſi millies oraveris, nunquam exoraveris ut ferant. Imagines earumque cultus cum ipſis aboleatur, quia ſcriptum eſt, non eſſe ὁμοίωμα cuiuſcun-

iuſcunq; rei faciendũ ut adoretur. Quia Iudæi à quibus orti ſunt Chriſtiani nullas imagines habuerunt, quas colerent. Quia primi Chriſtiani ſimiliter nullas coluerunt. Quia antiquiſſimum concilium vetuit picturam eius quod colitur & adoratur in Eccleſia fieri. Quia ſanctiſſimus præſul velum pictum figurã Chriſti habens aut alicuius ſancti diſcidit, & purum reſtituit. Quia alter antiſtes ſtatuam ſancti deiecit, & confregit, quæ colebatur. Quia Papa ipſe Gregorius primus imaginum cultum improbavit. Quia nec pro inſtruendis idiotis habendæ ſunt propter abuſum ex idololatria frequentem, ad quam humana natura nimis proclivis ſuopte ingenio eſt. Præſtat quippe providere ut nulli ſint in Eccleſia idiotæ qui his libris opus habeant, ſed effici ut iis libris uti poſſint qui ſine noxa cum utilitate magna legantur. Quia poſtremo hic mos imaginum habendarũ, colendarum, totus è paganis ortus eſt. Purgatorii opinio exterminanda, quia meritum paſſionis Chriſti extinguit, in purgatorium verum & remiſ-

missionem peccatorum nostrorum mortui. Quia commentum est hominis hæretici ex philosophia gentilium desumptum. Quia nec servatum est, ut ab eo primum fuit introductum, sed in longe perniciosiorem abusum à posteris deductum. Vota & Monachatus facessere etiam debent, quia non sunt divinæ institutionis. Quia superstitiosa sunt. Quia alligant non volentes tantum, sed etiam invitos multos. Quia ipsi qui voverunt continentiam, ubi servare eam non possunt, peiore lapsu ruunt, quam si tali voto se nunquam obstrinxissent. Abrogari etiam oportet magicos & impios ritus baptizandarũ Campanarum, consecrandarum aquarum, herbarum, & alia eiusmodi. Tollendus cælibatus, ac restituendum coniuginum presbyterorum, quia Apostoli ferme omnes uxores suas habuerunt, quia sacerdotes Iudæorum mariti fuere, quia Christianorum in Ecclesia Episcopi primi sive presbyteri uxores habuere, & ducere prohibiti nõ sunt. Quia etiamnum Ecclesiæ Orientales maritos habent Episcopos, &

Pres-

Presbyteros. Auferri debet denique liturgia quæ fit lingua à populo non intellecta. Item preces. Quia nec præcepto nec auctoritate, nec ratione, nec usu primitivæ Ecclesiæ id potest defendi, cum unaquæque natio olim semper lingua communi & omnibus intellecta liturgiam fecerit, & preces ad Deum fuderit. Habitus etiam in sacris dissonus à vulgari, & theatricus, & nimis pompaticus, & minime honestus, ablegandus est, quia vetus Ecclesia ministros non aliter habuit indutos dum sacra administrarent quam cæteros de plebe homines. Saltem constat, non aliam in publico, aliam in templo habuisse vestem. In his omnibus externis quæ necessaria videntur, non possumus ferre aliquid quod sit contra Euangelii veritatem, Apostolicam institutionem, & Ecclesię primitivæ praxin. In adiaphoris manus illis dabimus, & συγκατάβασιν prolixam adferemus, desiderio retinendæ pacis atque unitatis conservandæ. Rituum in his duversitas ac dissimilitudo salva concordia sine discidio Eccle-

siarum

ſiarum poteſt eſſe. Cum & apud antiqua ſæcula, non eodem more in multis plurimæ Eccleſiæ uterentur, ſed alia vigeret conſuetudo in Eccleſia Romana quam in Africana, & Gallicana: alia in Latina quam in Græca. Inter Græcas ipſas alium uſum haberet Conſtantinopolitana quam Alexandrina, & hæc quam Antiochena, rurſus hæc quam Hieroſolymitana. Εὔηθες γὰρ, inquit ſcriptor Eccleſiaſticus, ἐθῶν ἕνεκεν ἀλλήλων χωρίζεσθαι περὶ τὰ καίρια τῆς θρησκείας συμφωνοῦντες. *Stultum, propter ritus invicem ſeparari eos qui in præcipuis quæ ad religionem pertinent conſentiant.* Deinde ſubjicit, οὐ γὰρ δὴ τὰς αὐτὰς παραδόσεις κατὰ πάντα ὁμοίας κἂν ὁμόδοξοι εἶεν ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλήσιαις εὑρεῖν ἔστιν. *Quippe cum eaſdem traditiones per omnia ſimiles in omnibus Eccleſiis, quamvis cætera concordibus in fide, reperire poſſis.* Exempla plura refert ibidem horũ rituum διαφωνίας in pleriſque tam Orientis quam Occidentis Eccleſiis. Si qua autem eſt traditio ſuperſtitioſa, cuius origo non ſolum non inveniatur in Novo Teſtamento, nec obſervatio in ulla

anti-

antiquarum Ecclesiarum, sed & cum Euangelio & verbo Dei pugnet, quales multas ab Ecclesia Romana decem proximis sæculis adinventas esse constat, eo ipso indifferens haberi non debet, nec nos cogi debemus eas recipere aut recipientibus adsentiri. Sunt enim ex his nonnullæ ad quæstum & aucupia divitiarum excogitatæ, aliæ ad inescandas aut terriculandas aut illaqueandas infirmiores conscientias, aliæ ridiculæ sunt & ludibriosæ, nihilque habent ædificationis. In eo numero reponenda sunt Iubilæa, indulgentiæ mille annorum, satisfactiones, peregrinationes ad loca sancta, pœnitentium cũ vario vestitu processiones, grana benedicta, figuræ agni Dei, reliquię sanctorum pro amuletis collo suspensæ, preces ad numerũ devolvendæ per globulos filo insertos, cereorũ accensio in templis dum liturgia celebratur, & alia eadem moneta percussa infinita, per quæ religio Romana externum suum cultum internumq; in superstitionem plane gentilem, & εἰδωλομανίαν detestandam transformavit. Quod

ad

ad controversias attinet de doctrina, ut sunt de hominis conditione ante lapsum & post lapsum, de peccato Adami, de libero arbitrio, de caussa peccati; de peccato originali, de gratia universali, de beneficio Christi, de hominis reconciliatione & iustificatione, si parcius disputaretur; citius ad veritatem in his quærendis pervenire possent homines, & melius inter se convenire. Sed cavillatrix philosophia, dū quæstiones multiplicat, & omnia involvit nihil evolvit sic dissidia aucta sunt, & finis dissentiēdi ac disputandi iā nullus est. Nonnulla tamen ex illis ad salutē cum necessaria non sint, in his quæ talia sunt ferri dissidentes possunt. Ecclesia enim Romana quæ venditat unitatē Cathedre, tolerat ac pro suis habet in diversa euntes circa plurimas harū questionū. Scholis precipue earū vētilatio relinquēda, ubi animi & acuminis tantū gratia multa disputātur. Populo ea pabula ex verbo divino præbenda sunt à sapientibus ministris, quæ captum eius non superent, quæque nutriant, non suffocent. Licentius

Eve-

evagantẽ ad curiosas & otiosas συζητήσεις, si aliter non possint, auctoritate magistratuum admonẽdi sunt, ut intra modum sapiant ac philosophentur. De iustificatione hoc tenendum; nos fide in Christo per Christum & propter Christum ex mera eius gratia iustos esse, non ullo nostro merito aut virtutute. Alia docentes Romani ne sperent nos suos esse futuros, cum ipsi non sint Apostolici aliter sentientes, quantumlibet Romani. Si dentur igitur danda, & tollantur tollenda, his legibus & conditionibus pacem accipimus. Si non, digitum porrigimus medium cõciliatoribus τὰ ἀσύγκλωστα συνάπτειν frustra tendentibus. Nobis pax esse non potest cũ iis qui eam cum Christo non habent, qui Euangelio eius repugnant, fidem impugnant, atque impias aut vanas superstitiones propugnant. Qualem velit nolitve pacificationem Grotius etsi abunde liquidum patescit ex eius scriptis, non tamen audet aperte hoc dicere. Pudet eum nos quasi obtorto collo retrahere ad manifesta & confessa pridemq; dam-

nata Romanæ εἰδωλομανίας flagitia. In eo itaq; laborat maxime, ut non tam horrenda esse nobis persuadeat sicut ea imaginamur. Ideo alia supprimit, alia detorquet, alia sub diversa facie promit. Alibi personam sibi detrahit ac se totùm detegit in asserenda veritate Romanorum dogmatũ. Non potest tamẽ effugere quin secum ipse pugnet & quę adstruere conatus est, mox evertat. Dicit, in hoc proposito quod semper habuit conciliationis, *existimasse se aliquando, posse eam incipi à Protestantiũ inter se coniunctione.* Si hoc evicisset quod eo in tẽpore conari decreverat, an mansisset in eorũ communione? An viribus coniunctis Protestantium fretus, oppugnare adortus esset Romanæ religionis præsidia? Hoc non dicit. Interim se vidisse postea ait, *id plane fieri nequire.* Si vidit non posse conciliari inter se Protestantes, cur non prævidit multo minus posse componi Pontificios Romanos cum Protestantibus? Cur illud inceptum deseruit ob impossibilitatem, & istud urgere tanto nisu institit quod etiam magis ipsi vide-

videri debuit impossibile? Cur Protestãtium cõiunctio procedere nequeat, culpam confert in Calvinistas, *quorum ingenia* scribit esse *ab omni pace alienissima*. Calvinistis propter Calvinum videtur infensior; Calvinum autem ea de causa maxime odisse, quia Servetum neci addicendum ob impietatem & hæresin curaverit. Sed illi Calvinistæ per quos stetisse vult ne pacificatum sit inter partes Protestantium, Lutheranis dextram dare, eosque in communionem suam admittere voluerunt. An ex sua parte idem fecere Lutherani Calvinistis? Nequaquam. Ergo per Lutheranos iam stat ne coniunctio fiat, & calumniatur Calvinistas Grotius, dum immerentes censura sua vexat, ut eam meritos excuset. Alteram causam affert cur penitus dissociabiles sint Protestantes. *Quia*, inquit, *nullo inter se communi regimine Ecclesiastico sociantur; quæ causæ sunt cur factæ partes in unum Protestantium corpus colligi nequeant, immo & cur partes aliæ atque aliæ sint exsurrecturæ*. Ergo, si creditur Grotio,

ſola regiminis Eccleſiaſtici ratio in cauſa eſt cur Proteſtantiũ partes diviſæ coire in unum corpus nequeant. Quale ſit iſtud regimen, non explicat, ſed palam eſt, intelligere Papale & monarchicum. Atqui nulla inter Proteſtantes de hoc regimine rejiciendo diſſenſio. Unanimiter id refutarunt, etiam qui in aliis non conſentiunt. Cum igitur utriſque eadem forma regiminis placeat, eadẽ huic adverſa diſpliceat, non hac parte inſociabiles videri poſſunt. Ut eius video perſpicioq; ſententiam; quod communionis Romanæ conſortes adeo bene inter ſe conſpirent omnes & concordent, hanc cauſam eſſe deputat quia ab uno reguntur. Ille prohibet ne partes fiant in religione, continet omnes in officio & coercet auctoritate ſua & poteſtate. Ne ſchiſmata ſint providet, errones & emanſores ad ſua ſigna revocat. Miror Grotium tam ſtultividum fuiſſe aut cęcum, ut non animadverterit quam fruſtra quaſi remedium ſchiſmatis proponat illud ipſum quod ſchiſmatis fuit cauſa. De muliere quadam memoratur,

moratur, cum parturiens nixus doloribus premeretur, & rogaretur se lecto reddere, respondisse, quomodo lectus malum levabit quod in eo contraxi? Regimen illud Papæ tyrannicum qui pati non potuere, primo Græci abiecerunt, deinde & Protestantes. Ea prima secessione magna scissura facta est Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum, & orbis Christianus in duas partes scissus est. Postea cum eadem tyrannis in Europa postremo hoc sæculo intolerabiter grassaretur, magna pars Germaniæ ad pileum suos vocavit populos, ut ex sævissima servitute qua conscientiæ premebantur, eos in libertatem assereret. Omni schismate perniciosior erat quæ sub illo regimine invaluerat, & propter illud regimen, errorum & abusuum multitudo infinita, qua simul etiam sese liberarunt cum ipso regimine. Primum igitur tali regimine non impediri schismata, id quod factum est ostendit. Secundo tale esse hoc regimen ut schismata potius faciat quam prohibeat, etiam clarum. Tertio si non in eo regimine existerent

ſchiſmata, tanto peior inde Eccleſiæ conditio evaderet quia omnibus ſui partibus & membris in hæreſim ſchiſmate graviorem incideret, ac ſe totam eſſe hæreticam factam tandem ſine remedio altero animadverteret quam ſchiſmatis. Quid rebelles in regno facit? Dominantis tyrannica gubernatio. Quid in Eccleſia ſchiſmaticos? Eccleſiaſtici rectoris tyrannica quoque adminiſtratio. Huius autem tyrannici regiminis in Eccleſia præcipue ea natura eſt, ut ſtabile eſſe non poſſit, niſi qui pręeſt artes eas adhibeat quæ doctrinā pervertant, & diſciplinam corrūpant. Dum unus enim ad ſe omnia trahit, dum ſe plus poſſe quam omnes cenſet; atq; ut plus poſſit, arbitrio ſuo decidere poſtulat ac definire quæcunq; ad fidem & cultum Dei pertinent. Dum tales Rectores de imperio regio promovendo quam de paſtorali officio procurando magis ſunt ſolliciti, quod curæ habuerunt, provectum eſt, quod neglexere, retro ſublapſum iit. Regiæ poteſtatis ſpecimen cernitur in novis legibus condendis & veteribus abrogādis. Hoc idem

idem fecere Pontifices Romani, multa decreta nova condidere, & pleraque verbo divino & Apostolicis sanctionibus contraria. Id enim maxime facere visum est ad augendam & firmandam potentiam, non pendere ab aliorum statutis, sed ipsum statuere quod alii sequerētur. Sine opibus ac splendore externo non potest subsistere imperiū summū. Ideo plurimos ritus invexere in Ecclesiam pontifices ad aucupium pecuniæ. Inde Iubilęa instituta, inde indulgentię mille annorū, inde opinio de purgatorio introducta, inde Missæ privatæ ad remissionē obtinendā peccatorū, inde & sancti spiritus & privilegiata quæ vocant altaria erecta ad animas è purgatorio extrahēdas. Inde sacrificia & preces pro mortuis originem habuere. Inde alia eiusmodi infinita irrepsere incognita sæculis prioribus Ecclesię purioris, & cū Euangelio ex diametro pugnātia. Ut unda undæ supervenit in decursu aquę, ita abusus abusibus superinducti sunt in Ecclesia, donec corruptio generalis disciplinę insequuta est, depravatio doctrinę universalis,

& à veritate & ſimplicitate Euange-
lica tanta defectio, ut mutata ſit prorſus religio Chriſtiana in ſuperſtitionē idololatricam, & regimē eius in tyrannicam dominationem. Sed hæc mater illam filiam genuit. An mirandum eſt, cum utraq; impuriſſima ſit ac nequiſſima, ſi multi ab iis diverterunt variis temporibus, qui pati eam corruptelam non potuere, & talem tyrannidem? Non ſemper occaſio eſt ſchiſmatis, quamvis ſemper cauſa ſit. Nō defuere tamē omnibus ſæculis qui de abuſibus conqueſti ſunt, quos naſci ſuo tempore videbant, aut quos iam natos deplorabant, & præcipue poſtremis temporibus, cum menſura iam abuſuum & errorum videbatur in cumulum aſcendiſſe & myſterium iniquitatis ad ſummum perveniſſe. Sub initia creſcētis illius poteſtatis multi etiam ſancti patres in φιλαρχίαν Epiſcoporum declamarunt, in luxum, in divitias, & Papæ præcipue. Plurimi etiam ab Eccleſia ſeceſſerūt, ne cum luxu perditis & imperioſis Epiſcopis communicarent, ut Audiani & Aeriani. Non aliud feciſſent

ſi eo

ſi eo ſæculo nati eſſent quo reformatio à Luthero & Calvino procurata eſt. Sed iſti neceſſitate ultima cogente ad id remedium devenerunt, cum illi facti ſui cauſas non tantas haberent. Hæc enim tempora ſi cum illis conferantur, puſio non magis ſtatura differt à gigante quam huius ævi Eccleſię corruptela diſtat ab ea de qua tum querebãtur & propter quam ſecedebant. Adhuc erant in incunabulis ea vitia quæ ſummum creſcẽdi cacumen hac noſtra ætate contigerunt. Triplicem igitur effectum videmus huius Eccleſiaſtici regiminis quod tanquam coagulum & unicum unitatis Eccleſiæ vinculum nobis commendant. Innumeri ſunt qui errorem vident, & intabeſcunt deſiderio emendationis, & mutationem vellent, ſed domeſticis vinculis retinentur, & aliis cauſis quas mundus ſuggerit. Alii, quæ plurima turba eſt, torrente abrepti non ſentiunt ſe abripi, nec in quibus malis verſentur norunt: ſimiles pecudibus, quæ cum à lanio mactandæ ducuntur, putant ſe duci ad paſcua: vel etiam iis comparandi, qui

dormientes iugulantur, quorum ſomnus in mortem continuatur. Illi autem priores ſcientes ac videntes pereunt, nec ſe eripere poſſunt. Beati tertii, quibus ſalutis ſuæ cura eſt, & fuga ſtruitur ab illa communione quæ eam poteſt perdere. Sic Chriſti fidem profitentium tria ſunt genera, unum eorum qui errorem agnoſcunt nec fugiunt, alterum eorum qui nec agnoſcunt, nec fugiunt, tertium quod errorem cognovit & fugit. Nunc quærerem à Grotio ſi viveret, ſed quoniam fuit, ab iis quæro qui ſunt in eadem cum illo ſententia de regimine iſto Eccleſiaſtico continendis in unitate omnibus Chriſtiani populis neceſſario, utrum putent, ab initio tale ſemper fuiſſe; utpote à Chriſto ipſo inſtitutum, an aliquando cœpiſſe cum antea non fuiſſet. Non dubito reſponſuros, fuiſſe ſemper, ut à Chriſto in perſona Petri ſancitum. Nam hoc etiam videtur velle Grotius. Cur igitur à Petro uſque ad Epiphaniũ, qui quarto ſeculo vixit, ſexaginta & octo qua ſchiſmata qua hæreſes numeratæ ſunt, quas ille deſcripſit?

psit? Schismatici sponte abeunt, hæretici pelluntur. Hæc est differentia. Nonnulli ex his Apostolorum ęvo cœperunt. Inter hos Nazaræi ab Ecclesia recesserunt, quia cæremonias Iudaicas cum Euangelio iungi volebant. Quibus præivisse ipse videtur Petrus. Nam cum inter initia discidium super ea quæstione ortum esset inter fratres, compositum primo fuit concilio Hierosolymitano, cui & Petrus subscripsit. Postea mutavit, & gentes quæ ad Christũ accedebant cogebat Iudaismũ amplecti. Quo nomine à Paulo reprehensus est, ὡς οὐκ ὀρθοποδῶν πρὸς τὴν εὐαγγελίου ἀλήθειαν, *Non recte ambulans ad Euangelii veritatem.* Inde Nazaræorum schisma, qui Christum colebant, & Iudaicas simul cærimonias recipiebant. Horum adhuc reliquiæ extabant in Iudæa temporibus Epiphanii & Hieronymi. Viventibus porro adhuc Apostolis multa variis locis schismata acciderũt, ut illud quod in urbe Corintho exortũ, cum alii dicerent se esse Cephæ, alii Apollo, alii Pauli. Id à Paulo compressum est. Post mortem Pauli iterum

rum recruduit, ut ex Epiſtola Clementis ad eoſdem Corinthios probatur. Sed vetera omitto. Cur ſub iſto regimine tale ſchiſma unitatem Eccleſiæ diviſit, ut ei ſimile antea non fuerit, nec futurum poſtea ſit, quod etiam nunc durat, Eccleſiarum omnium Orientalium à Romana ſeparatarum? An aliter dicent quam propter hoc ipſum regimen illud ſchiſma exortum fuiſſe? Ubi autem poſt ſchiſma tale regimen reiecerunt, non ipſi idem ad ſe regendum recepere. Quod tamen omni ratione videbatur faciendum. Cum enim primatũ Papæ denegaſſent, qui ſecundus ab eo erat, iam primus eſſe cœperat. Sed non propterea tyrannico more primatum illum in ſuprematum convertit. Quinimo parem ſe geſſit collegis ſuis Patriarchis. Exemplo quippe proximo admonebatur, ne ſi imperium tale in eos exercetet ut Papa in omnes exercere voluit, ſimili ſeceſſione ab ipſo ſe diſtraherent, ut omnes Papæ tyrannico iugo ſe ſubtraxerant. Ita univerſi Orientalis imperii omnes Eccleſiæ à quattuor Patriarchis regebantur

pari

pari potestate. Sub eo regimine nulla schismata orta sunt. Nunquid autem plures quam quattuor omnes eas Ecclesias administrare poterant? Si quattuor, cur non octo? Certe ex uno Patriarcha Constantinopolitano tres fieri potuere, quot erant Exarchi sub illo diæcesium, Thracicæ nempe, Asianæ & Ponticæ. Si octo detur id regimen inter se potuisse partiri, numerus etiam amplior poterit admitti. Viginti Episcopis tribuamus universam Ecclesiam Orientalem administrandam. Numerus differentiam regiminis nullam inducit, ubi par potestas regentium debet esse. Sic nonnullas urbes Duumviri olim rexere, alias Quinqueviri. Quasdam Decemviri, qui & δεκάπρωτοι dicebantur. Fuere qui & magistratum haberent ex viginti viris compositum, qui εἰκοσιπρωτοι appellati, & qui ex quadraginta. Adhuc ulterius pergamus. Dioeceses in provincias partiamur, & illam administrationem in civilibus quam introduxit Constantinus removeamus, ex qua Patriarchæ originem sumpserunt. Reddamus singulis provinciis

vinciis Ecclesiasticis suos rectores Metropolitanos, ut habuere per Canonem Nicæni Concilii. Quid prohibebit per Metropolitas Episcopos, qui omnes pares sint, omnes αὐτοκέφαλοι, æque posse Ecclesias totius Orientis gubernari, ut per Patriarchas nunc inter se æquales reguntur, & ab eo tempore directæ sunt ex quo Papalem tyrannidem depulerunt? Multiplicemus adhuc numerum regentium, eadem forma regiminis manente. Restituamus antiquum morem Ecclesiæ, quo omnes Episcopi inter se pares erant, nec ullis parebant Metropolitanis. Quæ ratio vetabit quin trecenti aut plures Episcopi æque bene possint procurare trecentas Ecclesias, ut quadraginta, ut viginti, ut decem, ut quattuor? Immo & melius eas procurabunt, quatenus paucitas, quo propior ad unum vergit eo fit quodammodo τυραννικωτέρα.. In civilibus quidem μοναρχία sæpe optima, in Ecclesiasticis semper pessima, & nunquam admittenda. At Episcopi non semper in Ecclesia fuerunt cum potestate supra presbyteros, sed fuit tempus,

pus, cum iidem essent cum presbyteris re ac nomine, ita ut Ecclesiæ singulæ non ab uno sed à pluribus Episcopis iisdemque presbyteris simul regerentur. Et hoc regimen ab Apostolis institutum fuisse, probavit nuper auctor libri de Primatu Papæ, & diu mansisse post Apostolos. Nihil autem impedit quin una Ecclesia æque recte à pluribus cum pari potestate administrari queat ut ab uno. Nam & Capitulum sæpe sede vacante non desiderari sinit unius pastoris diligentiam, cum equalem curam præstet. Hoc regimen cum cætera reformarent etiam restitutum voluerũt illi Schismatici quos sub iugum iterum mittere conatur Grotius postquam catenam abruperunt. Si dixerint igitur Conciliatores, non semper quidem monarchicum in Ecclesia fuisse regimen, sed introductum ad vitanda schismata. Id enim testari Hieronymum in Epistola ad Titum & in Epistola ad Euagrium. Hieronymus non de monarchico regimine unius in Ecclesiam superimposito ibi loquitur, sed de Episcopali singulis Ecclesiis particulari-

cularibus præpoſito. Immo vel ex illis eius locis patet, nondum tunc in Eccleſia cognitum & receptum fuiſſe tale regimen, cum omnes Epiſcopos ſingularum civitatum pares agnoſcat. Sed & illa ſchiſmata quæ vitata dicit Epiſcopatus inſtitutione, particularium ſunt Eccleſiarum diſcidia, quæ inter presbyteros ob æqualitatem evenire ſolebant, antequam unus ſuperpoſitus omnibus diſcordantes in officio contineret. Cum vero ex illo Epiſcopatu certius & maius malum in Eccleſia ſuſcitatum fuerit, quam ea erant diſcidia & ſchiſmata, quibus particulares civitatum turbabantur Eccleſiæ; nempe Tyrannis unius, quæ in Eccleſiam univerſalem inſurrexit, merito radix & fundamentum tanti mali extirpari funditus debuit, ſublato Epiſcopatu & reſtituta presbyterici regiminis Apoſtolica æqualitate. Utriuſq; regiminis quanta ſit differentia, ex paucis quę hic dicam patebit. Quæ ab unius nutu pendet Eccleſia, nihil prętér illius pręſcriptum audet aut poteſt conſtituere, ſed accipere debet quæcunque illi placuerint

cuerint

cuerit ſancire. Summam autem poteſtatis ſolent qui tales ſunt ponere in mutandis & abrogandis veteribus inſtitutis, quo ſuum imperium ſtabiliant. Ne inſtitutis quidem divinis & Apoſtolicis parcunt, dum ſuę potentię limites latius extendant. Nemini uni licet quantūvis doctiſſimo & ſanctiſſimo, ſub tali rectore hiſcere, aut eius dictatis contravenire. Sępe tamē uſu venire poteſt, ut extraordinariis donis à Deo inſtructus quis labantē valeat diſciplinā reſtituere, & doctrinam depravatam aut deperditam inſtaurare, ut fecere Elias in Veteri Teſtamento, Iohannes in Novo. Ne Synodis quidem, & congregationibus plurium ad id quod melius eſt in Eccleſia providēdum in unum coactis liberam vocem, aut definitivā habere fas eſt, cum ab his conſtituta pro bono publico Eccleſiarum ab unius adprobatione, & confirmatione dependeant; rata ſint an irrita futura. Cum vero hoc amoto regimine αὐτογνώμονι, & αὐτοκρατορικῷ, Eccleſiæ tanquam cynoſuram reſpiciunt dirigendæ ſuæ navi ſacram Eu-

angelii ſcripturam , & hanc habent unicam ſuorum iudiciorum normam, quamvis falli poſſint & labi circa veram eius interpretationem multis in rebus , in pluribus tamen rectum tenere curſum, nec unquam tam graviter errare poſſunt quam unus ille, qui nullo ad ſcripturam reſpectu quidquid libitum fuerit, ordinare & ſciſcere licitum ſibi credat. Exemplo obvio atque ἐξοφθάλμῳ, planum id facere facile erit. De duabus opinionibus Proteſtantium circa Euchariſtiam ea quæ peſſima videtur, longe optima eſt ſi conferatur cum Pontificia. Non enim agnoſcit abolitionem panis , non ſubſtantias condit ſine accidentibus, nō accidentia fingit nulli inhærentia ſubiecto, non adorandum panem tradit non ſumentibus , non circumgeſtat , non ſacrificium ex eo facit adplicativū ſacrificii, non parte una ſacramentum mutilat , non alias profanationes idololatricas introducit. Idem de aliis multis poſſet probari. Ita externarunt Chriſti de hoc ſacramento inſtitutionē, & uſum priſcæ Eccleſiæ ; penitus exterminarunt , ut mi-

ministris quæstuosum illud facerent, & auctoritatem iis inde conciliarent quasi qui corpus Christi conficerent opere suo, & Deum ipsum in manibus quotidie gestarent. Quod autem ubique non cessat Grotius eiusque similes infamare nostros presbyteros quos *temporales* appellant, studio partiũ occæcati non vident Ecclesiæ regimini ab Apostolis instituto longe magis esse contrarios Episcopos quam tales presbyteros ad tempus creatos. Non mutant hi formam nec substantiam ipsius regiminis Ecclesiastici quale est ab Apostolis ex verbo Dei constitutum. Episcopi vero sicut postea ab Ecclesia introducti sunt eam prorsus innovarunt. Quin presbyteros qui essent ac etiam dicerentur ex officio curationis Episcopi, regendis Ecclesiis præposuerint negari non potest. Hi omnes pares inter se erant. At Episcopus unus pluribus presbyteris impositus, re ac nomine ab his diversus, novum est inventum, Apostolis & Apostolorum proximis successoribus plane inauditum. Apostolicum regi-

mē Ecclesiæ presbyterale fuit. Presbyterale nos nunc quoq; retinemus. Quid refert ad officiū ministerii, aut muneris dignitatem, si vitæ tempus eius administrationi præstitutum sit, an aliud certum? Ne perpetui sint mors etiam facere solet. Quinetiam ea sæpe incidunt tempora, ut frequentiores eorum sint mutationes morte electorum quam ex nova electione. Præterea ex certo numero semper eliguntur quos recte eo munere functos esse constiterit. Si qui fato defecerint, alii sufficiuntur. Postremo cum presbyteri quasi magistratus sint Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus civilē ordinē subsequatur ut concilia antiqua statuerunt, constat plerasque olim civitates ad vitam creatos habuisse magistratus, alias ad tempus. Quæ consuetudo etiam variat in pluribus Galliæ & aliarum regionum civitatibus. Postremo præcipui presbyterorum qui in verbo prædicando laborant, perpetui sunt καὶ διὰ βίου. Falsa & erronea persuasio Pontificiorum de charactere indelebili Ministrorum, sacra-

cramento ordinis talem imprimente characterem, effecit, ut pro monstro habeantur hodie nostri ad tẽpus presbyteri, cum tamen & ille character non delendus, & illud Sacramentum ordinis magis nova sint, & maiorem abusum inferant quam presbyterorum certo tempore mutatio. Si in hoc solo hæreret conciliatio, facilius possemus presbyteros nostros reformare ad instar Apostolicorum, & perpetuos eos facere, quam Pontificii tollere suos Episcopos & æqualitatem presbyterorum Apostolicam reponere. His positis reliquum est videre qualis modus conciliationis placuerit Grotio. Olim, ut ante vidimus, cogitaverat cogi posse in unum corpus ex schismate Protestantes, & inde auspicandam esse conciliationem. Vbi cognovit non posse illos inter se coniungi, aliam viam excogitavit. Quænam illa est? Ab ipso discamus, & verbis eius: *Quare nunc plane ita sentit Grotius, & multi cum ipso, non posse Protestantes inter se iungi, nisi simul iungantur cum iis qui sedi Romanæ cohærent, sine qua nullum sperari*

potest in Ecclesia commune regimen. Plana hæc via certe, & facilis si quis modo velit eam insistere. Ingeniose etiam inventa. Quis negaret? Oves & capræ convenire inter se non possunt. Ergo tradantur lupo. Sic facile convenerint. Legati regum qui nunc Monasterii tantopere laborant in componenda pace inter Gallum & Hispanum, si hæc ratio Grotiana in mentem ipsis venerit, non diutius hærebunt. Partes ad conventionem difficiles, ubi alia via non suppetet pacificandi, iubeantur ambæ se Turcæ dedere, ut sub communi illius regimine in pace maneant. Idem est prorsus quod hic postulat. Lutherani non possunt cum Calvinistis in unum corpus coire & colligi, Pontificii ergo fiant utrique, ut deinceps unum & commune regimen fiat omnium Protestantium sub Papa Romano. Arcana conciliationis Grotianæ, eiusque similium, & Votum pacis eorum quale fuerit, hic plane patefactum ac revelatum tenemus. Non enim tam hebetem crediderim fuisse, ut rem ex se difficillimam ac pæne impos-

possibilem, nempe Protestantium coniunctionem, per longe difficiliorem minusque possibilem expedire voluerit. Minora sunt & pauciora de quibus inter se diffident Protestantes, maiora & plura quæ Protestantes ipsos à Pontificiis separant. Quomodo igitur tam rerum nescius fuit, vel sensu communis expers, ut facilius putarit factu conciliare propioribus lineis disiunctos quã longinquiore spatio dissitos? de pluribus negotiis disceptantes quam de paucioribus? In maioris denique momenti rebus discrepantes quam in levioribus? Si Protestantes omnes unum idemque sentirent ac de eorum concordia cum Pontificiis integranda ageretur, res esset explicatior, utpote in communi usu ac more posita, ut duobus litigantibus accidit boni viri arbitrio negotium suum componendum permittentibus. At hic tres partes sunt non duæ: Harum trium diversa sunt τὰ διαφέροντα, & tres διαφοραί. Protestantium duæ sunt partes invicem de multis negotiis diffidentes. In quibusdam vero & conveniunt, sed

in his ipsis à Pontificiis cõmuniter dissentiunt. Exempli gratia, non idem sentiunt de Eucharistia Lutherani & Calvinistæ, sed eorum est una sententia in condemnanda de eo Sacramento Pontificiorum opinione. At de regimine Ecclesiæ, quod Papa non debeat esse supra Episcopos, consentiunt inter se Protestantium utræque partes, & pariter damnant regimen Papale quo Romana Ecclesia gubernatur, quasi tyrannicum. Cum ex his ergo duobus capitibus præcipuis in uno consentiant inter se Protestantes, in altero dissentiant, sed in utroque pariter à Pontificiis dissideant, quia probare non possunt quod isti de utroque sentiunt, unius adprobatio vel condemnatio præjudicium non fert ad alterum condemnandum, vel adprobandũ. Vt enim diversa sũt capita litis inter diversos, ita nihil habent inter se commune, ut altero damnato consequi debeat alterius damnatio. Ponamus melius esse regimen Ecclesiæ Romanæ quam Protestantis, huius regiminis præstantia nihil facit ad dijudicandum an de

Eucha-

Euchariſtiæ doctrina eorundem Pontificiorum ſit melior utravis Proteſtantiũ opinione. Officiũ boni arbitri fuerat, & æqui religionum conciliatoris, ſingulas opiniones momentis ſuis ponderare. Vtriuſque cauſas, & δικαιώματα expendere. Primũ diſpicere, an ſit ſanior doctrina Calviniſtarum quam Lutheranorum. Deinde quam victricẽ calculo ſuo pronuntiaſſet, eam cum Pontificia componere, & videre, omnibus rite penſitatis atque examinatis, utra rurſus harum primas ferre deberet. Stultiſſimum quippe eſt, atque iniquiſſimum, cauſam Euchariſtæ, & alias controverſias quibus ſententia Proteſtantiam diſcrepat à Pontificia, per ſolum regimen Eccleſiæ Romanæ velle decidere. Aut illud optimum eſt, aut peſſimum. Si eſt optimũ, non neceſſario ſequitur, ut alia etiam dogmata eorum ſint talia. Si peſſimum eſt, cur normam ex eo petunt quod pravius eſt, ad alia omnia corrigenda? Si in eo nõ pravitas aut rectitudo quæritur, ſed ſola poteſtas ad coercendum idonea requiritur, iam hæc vis eſt & tyrannis, non rectum

regimen. Quis enim ſanus probare possit religionẽ imperari, non doceri? cogi, non perſuaderi? Hoc eſt, condemnare reformantes, non conciliare. Hoc confirmare errantes, non reformare eſt. Hoc denique eſt, nodum nodo ſolvere, & litem lite dirimere. Hæc tamen unica ratio conciliandi probatur Grotio, qui hac una ſecuri omnes vult controverſias de religione ſecari. Securis illa regimen eſt Eccleſiæ quo utuntur Pontificii. Hic illi cuneus videtur efficaciſſimus ad omnes nodos vindice dignos ſcindendos. Cęterum aut iuſtas habuere cauſas Proteſtantes àbrumpendi ſe à concordia Romanorum, aut nullas. Si iuſtas habuere aliquas, videndum quænam illæ ſint, & an inter illas ea etiã ſit qua regimen Pontificiorum reiecerunt. Si nullas habuerunt, hoc ipſum videndum, num de ſolo regimine præiudicandum cæteris videatur, cum nec ipſum ſine vitio ſit. Hoc enim fatentur æquiores etiam Pontificii. Soli negant Ieſuitæ, qui omnia prava & vitioſa etiam defendunt. Sed nemo

nemo eos pro idoneis conciliatoribus religionis inter Proteſtantes & Pontificios habiturus eſt: Hos cum ſequatur Grotius., nemo eum arbitrum optaverit ad componendam pacẽ, cuius votum eſt omnes Proteſtantes ad ſupremum tribunal ſummi Pontificis ſiſti ut ex ore eius atq; oraculo in propria cauſa iudicis ſublimi ſolio ſedentis, ſententiam excipiant condemnationis qua uno elogio duci iubeantur, niſi reſipiſcant. Hoc eſt, quod ante dicebam. Ovis & capra de paſcuo contendebant ſine ſpe conciliationis. Paſtor dyſcolus auctor fuit domino utramque venderet lanioni mactandam, ut in morte convenirent quæ in vita non potuere. Huic paſtori ſimilis arbiter religionum eſt Grotius. Papa lanioni. Lutherum autem & Calvinum, Tros Rutuluſve fuat, nullo habet diſcrimine. Hi ſunt illi capra & ovis diſcordantes. Romana etiam Eccleſia vaſta eſt palus lutoſis voraginibus undique profunda. In eam immergi vult & abſorberi confundique nomine deperdito duos amnes divi-

divisis alveis per longa camporum spatia currentes. Sed quam ipse sibi parum constet, hic ostendam, simulque ipso iudice probabo, per illud ipsum regimen stare, ne discidia Ecclesiæ tollantur, quia discidio causam præbuerit. Vbi dixit, non posse Protestantes inter se iungi nisi simul iungantur cũ iis qui Sedi Romanæ cohærent, sine qua nullũ sperari potest in Ecclesia cõmune regimen, statim subiungit, *Ideo se optare, ut ea divulsio quæ evenit, & causæ divulsionis tollantur.* An sic tollentur, ô bone, causæ divulsionis, si sub iugũ illius regiminis iterũ se mitti patiantur Potestantes, qui se ut liberarent eo iugo, divulsionẽ eã quã dicis fecerunt? Ita est, inquit, *Nã inter eas causas non est primatus Episcopi Romani secundum Canonas.* Vtinam Grotius non esset, aut saltem non esset mortuus, nõ tã leniter cum eo hic agerem, ita absurda dicit & absona. Sane inter causas discidii quo hodierna dividitur Ecclesia, non est primatus Episcopi Romani secundum canones, quia nusquam est. Ibi certe est hodie primatus Papæ secundum canones, ubi

ubi consulatus erat Iulii Cæsaris secundum leges, cum Nerones, Caligulæ, & Domitiani dominabantur. Vt enim tunc inter causas seditionum, & conspirationum bellorumque quibus vexabatur respublica Romuli, non fuit ille consulatur Cæsaris quē cū Bibulo gessit, ita sane nec inter causas discordiarū quib⁹ hodie cōflictatur Ecclesia Christi primatus Episcopi Romani numerādus est. Mirum tamen quid velit. Si viveret hoc posset nos docere. Nam ab eo peterem, num velit, regimen illud Romanæ sedis quod tanquam remedium schismatis proponit idem esse cum primatu secundum canones, an ab eo diversum. Si idem esse voluit, frustra dicit ac superflue primatum illum non esse inter causas divulsionis, cum eum nobis proponat velut unicam & sacram anchoram ad fundandos animos dissentientes in religione. Sin vero primatus ille Episcopi Romani secundum canones, nihil iam habet affine aut cognatum cum regimine quo hodie Ecclesia Romana utitur, inaniter etiam & pro nihilo huius primatus hic men-

mentionem injicit cum non magis iam officiat libertati Christianorum, quam consulatus Cæsaris obfuit libertati Romanorum, ubi in unius principatum concessere. Sed videtur tamen Grotius primatum illum secundum canones eundem facere cum regimine sedis Romanæ, quod iam commune statuit debere esse omnium orbis Ecclesiarum, ut redintegretur male sarta earum gratia, ac concordia. Nam statim subjicit, *Melanchthonem quoque fateri eum primatum etiam necessarium esse ad retinendam unitatem.* Ergo primatus Papæ secundum canones, & regimen quod ad unitatem retinendam vult omnium commune esse Grotius, idem est. Factam rem habemus, composita pax est, discordia abolita. Grotius & Melanchton idem dicunt, & nos eis accedimus. Eamus securi iam nos Batavi Romam. Ibi Papa est primus tantum Episcopus. Quis illi secundus quis tertius in Europa Episcopus? Dum hoc quærimus iam Romæ sumus, iam de Episcopo eius salutando cogitamus. De more salutandi consultamus. Iam di-

didicimus quod principibus crepidam porrigat osculandam. Quid igitur nobis fiet tenuis sortis homunculis? Quã partẽ corporis offeret ad osculũ? Vaticani montis Echo pro responso syllabas duas ultimas resonans iterat, priorem etiam producendo. Abeamus igitur curriculo, ac demissis manibus, primum illum Episcopum, cum Roma sua & beatorum pedum osculis relinquamus. Nullus Episcoporum præter hunc primum hoc facit, nec fecere primi Romanorum Episcopi. Nihil etiam Romæ habemus quod agamus, nec mille annorum indulgentias quærimus. Alio modo prospeximus ne his opus habeamus, Papam qui eas dat expungendo, & ipsius purgatorium cuius gratia dantur, expurgando. Vt iam serio agam, non subdolum esse dicam aut malignum, sed potius ridiculum, quod hic ait Grotius de primatu Papæ secundum canones. A poëtica sua mutuatus est hanc extenuationem, quæ de elephanto muscam facit, & de gigante pusionem. Hodie Papa non supra Episcopos tantum est, & Archiepisco-

pos,

pos, & Patriarchas, ſed etiam ſuprà principes, reges, imperatores, vice Dei, pæne Deus. Et tu nobis eum pro primo Epiſcopo ſecundum canones dabis? Apage te. Ipſi Papæ te deridendum hoc modo præbes, & ſi Romæ eſſes nunc vivus, nihil tibi prodeſſet hæc opera quam pro illo navas, de reſtituendis in eius ovile omnibus ovibus aberrantibus, ſed fidiculis à te exprimeret veram de ſua poteſtate non limitata, & ſcientia falli neſcia, confeſſionem. Canones autem illos tuos quibus ei primatum aſſignatum doces obſoletos pridem eſſe, vanos, putridos rancidos & nihili, te doceret. Te neſcire diceret quibus temporibus vivas, apparere te novitium eſſe Catholicum & in doctrina Romana catechumenum. Tum ſi favorabiliter tecum agere vellet pro aliis tuis meritis erga ſedem Romanam & quia regius legatus fuiſti, inſtruendum te in aulam iunioris alicuius Cardinalis daret, ubi diſceres vel minimum hodie Cardinalium, etiam presbyterum, etiam diaconum, ſupereminere omnibus Archiepiſco-
pis

pis. Ideo & *Eminentissimi* proprio titulo dignitatis vocantur. Quod nunquam ulli primo Episcoporum vel Archiepiscopo datum fuit. Quod vero ad Melanchthonē attinet, ita probat primatum in Ecclesia, ut aliud velit primum esse Episcopum, sive *primatum habere inter Episcopos*, aliud *supra Episcopos esse*. Id enim impense improbavit una cum aliis reformationis auctoribus. Sic enim in epistola ad Norimbergensis Ecclesię pastores scripsit, cui & subscripsere cum eo Martinus Lutherus, Iustus Ionas, & Iohannes Bugenhagius, *Ad has adiungimus hoc quoque. Nunquam probaturi sumus Pontificis Romani potestatem quam sibi sumit supra cæteros Episcopos*. Multo minus eam probavissent quā sibi adrogat supra reges & imperatores. Non est ille *primatus*, sed plane *suprematus*. Primatus autem secundum canones, non alius est à primatu ordinis, qui primū aliquem nimirum facit in eodem ordine, hoc est inter eiusdem ordinis Episcopos. At nullus hodie primatus talis, respectu Romani Episcopi sive Papæ. Non

est quippe ullus ordo Paparum, inter quos, ut eorũ ordinis primus, primatũ queat obtinere. Nemo illi par, aut proximus, qui & secũdus à primo ita dici possit, ut ille omniũ primus. Si res spectetur, ut nunc sese habet, nõ primus est Episcopus, Papa, sed Ecclesię Monarcha. Si ius ipsum exigatur, ne primatum quidẽ secundum canones obtinere debet. Canones illi, regulę quidẽ fuere sat bonę, & temporibus quibus sunt conditæ, congruentissimæ. Unicum sub uno principe fuit tũ imperiũ orbis Romani & Christiani. Imperii illius Roma fuit prima urbs, utpote sedes imperalis. Ideo canones eius Episcopo primatum detulerunt, ut primæ urbis imperii. Ubi porro imperium in duo divisum fuit, Orientale & Occidẽtale, Orientalis partis primæ urbi ad idẽ instar ab iisdẽ canonibus primatus adiudicatus est in Oriente, ut Romano in Occidente datum fuerat, qui nimirum alter ab illo esset. Occidentis autem imperio abolito, solus primatũ Episcopus ille qui novæ Romæ præsidebat, id est, Cõstãtinopolitanus, vindicare cœpit. Nã

cum nullũ esset amplius imperiũ in Occidente, ne Roma quidẽ pro prima sede eius imperii quod nullum esset, merito haberi debuit. Manente porro hodieq; Orientis imperio sub uno domino, qui sedẽ habet Constantinopoli, Episcopus Constantinopolitanus primatũ suum inter omnes Orientaliũ Ecclesiarũ Episcopos potest ac debet etiam nunc retinere. Occidentale autẽ cũ in tot ac regna principatus ditionesq; divisum fuerit pridem, nulla ratio ferre potest ut unus præponatur primatus nomine omnibus eorum regnorum ac principatuum Ecclesiis, quia nec unus in temporalibus omnnes eas Occidentis ditiones princeps nunc regit. Vnitatem porro in temporalibus subsequitur etiam ut plurimum unitas in spiritualibus. Ecclesia quippe ita in republica est, ut pars eius sit. Cũ respublicæ autẽ diversæ à diversis dominis ac principibus potestate summa & independente administrantur, non est iustum, ut earum partium ditiones quæ diversos agnoscunt reges in sæcularibus, in Ecclesiasticis unum aliquem

omnes patiantur. Ecclesiastica res cuiusque reipublicæ non debet sub alio censeri domino atque ipsa respublica cuius pars esse dignoscitur. Inde enim eveniret, ut rex aliquis vel princeps potiore ac nobiliore sui regni vel principatus parte, id est Ecclesia, nõ uteretur ad obsequium facili & fideli, quia alteri pareret domino. Hinc multæ turbæ fierent, & pax nunquam esset inter Ecclesiam & Rempublicam. Etenim ubi reges & principes Christiani propter diversa διαφέροντα exortis simultatibus sæpenumero ad arma prorumpunt, & inter se belligerantur, primus ille Episcopus qui præerit omnibus Ecclesiis Christianitatis, si duo reges bello se appetant, quas partes sequetur, aut pro quibus stabit? Si bonus sit, inquies, neutras fovebit. At hoc fieri per rerum naturam non potest. Idque abunde docuit hactenus experientia. Nunc qui Papa est, hoc est, ut vult Grotius, qui primatum habet secundum canones, totus Hispanis favet, & factione Hispanica ad hunc primatum promotus est. Quos Galli protegere ac defen-

defensare student, eos omnibus modis depressum it, fortunis ac dignitatibus spoliat, nullo respectu regis Galliæ, qui eos in fidem suam ac clientelam recepit. An æquum est ut Galli patienter hoc ferant & pro Patre communi eum habeant, ac primo suorum Episcoporum, qui discessit in partes, & tam hostili & infenso animo adversum eos se gerit, eorumque hostes suo favore tuetur? Vmbra Romani veteris in Occidente imperii intra Germaniam hodie subsidet. In omnibus eius Ecclesiis unius primatus utcumque posse tolerari videtur, dummodo primatus sit qualem exigit Grotius, secundum canones. Hic est etiam quem probavit Melanchthon, & ad unitatem retinendam necessarium putavit. Ibi unus in temporalibus dominus agnoscitur. Ibi etiam unus primus in ordine Episcoporum posset agnosci. Sed ut regnorum & principatuum rerumque publicarum diversarum universæ Ecclesiæ ab uno regantur, id fieri sine earum detrimento & pernicie vix queat. Quod multis experimentis esse

verissimum semper agnitum est, & nunc abunde sentitur. Vnaquæque regna suum habeant primatẽ, qui nõ magis ab alterius regni Primate depẽdeat, quam rex ipse, in cuius regno Ecclesiis prȩsidet, ab alio rege. Vt inter reges ipsos primatus est, quia etiã ordo est, ita inter regnorũ Ecclesiasticas Primates esse debet. Ei primatus dabitur, cuius regni prȩrogativa ex potentia vel antiquitate id mereri videbitur, si quando ex Ecclesia tota Concilium cogetur universale. Si de eo convenire non poterunt, quia sunt reges qui de ipso primatu contendunt, antiquior Primas eum primatum consequatur, aut concilium ipsum assignet. Sic Ecclesia nunquam caritura est Primate & primatu, quem ita iudico necessarium, ut natura ipsa & ratio omnis ordinis non aliter poscere videatur. Vbicunque enim ordo est, hoc est, multitudo ordinata, ibi est primatus ordinis. Nulla collegia, nulla corpora qua Ecclesiastica qua sæcularia, quia sunt ordines, sine primatu sunt. Presbyterium antiquum & Apostolicum, ut suum semper

per habuit primum, ita & primatum, quem ordo antiquitatis tribuebat. Miror tamen quid eo primatu ſecundum canones facere cogitarit Grotius. Nam ad conciliationem quam animo agitabat haud magis eſt efficax quam pix aut cera liquefacta ad vitrum fractum reficiendum. An putabat Papam eo contentum fore? An credebat cum tali de primatu opinione receptum ſe iri ſi quando ad pulſandas Eccleſiæ fores veniſſet? Nunquam ei patuiſſent hanc ſententiam afferenti, haud ſane magis quam Milleterio, cui nec licuit teruncíolum libertatis peculiarem ſibi in hoc articulo reſervare, quin omnia quę retinere tẽtabat refundere cogeretur, & Papã totũ qualis quantuſque habetur advenerari, etiam cum diva Crepida. Idem omnino faciendum fuiſſet Grotio, & canones illos abiurare neceſſe habuiſſet cum primatu ipſo, quos nunc ad unitatem tantopere neceſſarios nobis deprædicat. Primatus ille, ut anima eſt, unde abiit nunquã redibit. Pridẽ eum peperit Papatus, ad ventrem matris

nunquam regreſſurus eſt. Alio loco Grotius in iſto libro clarius ſe de eo primatu explicat, & eum interpretatur, *qui ſalvo iure regum & Epiſcoporum Papæ ſive Epiſcopo Romano conceditur, quem mos antiquus & canones & veterum imperatorum & regum edicta ei aſſignant.* Non puto Ieſuitam illum qui hic excerpta ex eo libro plura publicavit ſub Teſtamento Grotii, ut oſtenderet Catholicum eum tranſiſſe à vita ad mortem, verba hæc cum reliquis excerpſiſſe. Nihil enim minus olent quam Romanitatem. Sed & quæ ſequuntur in eadem pagina xv. non magis Romana videntur. Sic enim ſcribit: *Qui quidem primatus non tam Epiſcopi eſt quam Eccleſiæ Romanæ, cæteris omnibus prælatæ communi conſenſu.* Si Romanam Eccleſiam intellexit eo ſenſu quo nunc accipitur à Pontificiis de Eccleſia Catholica & univerſali, ut primat[illegible] hic eius ſit non ipſius Epiſcop[illegible]ni, ex eo ſequeretur, Eccl[illegible]unque vellet & in qua[illegible]te orbis ipſi placeret eum [illegible]poſſe collocare, Lutetia aut Lon-

Londino, aut Toleto, aut ubivis. Sed apparet accepiſſe id nomen de Eccleſia Romana particulari, cum dicat eam Eccleſiam cæteris prælatam fuiſſe communi conſenſu. Nam generali ea appellatione omnes orbis Eccleſiæ dici atque intelligi Romanæ deberent. Si Romanæ igitur huius Eccleſię particularis primatus fuit, non ipſius Epiſcopi, quia prælata ſit omnibus, quo merito aut qua cauſa prælatam dicet? Nempe propter urbis dignitatem quæ prima erat imperii, & ſedes imperialis. Atqui ceſſante cauſa propter quam ei datus eſt primatus Conciliarum canonibus & regum Edictis, ceſſare etiam debet effectus. Ubi enim iã illa Romæ dignitas, primæ in imperio civitatis? Cum imperio ipſo utique evanuit. Sed & illud quo animo legent aut accipient Pontificii quorum gratiam voluit demereri, quod negavit Epiſcopi eſſe primatum, Eccleſiæ affirmavit? Si hoc ſit, ubi meritum Petri, ubi ſucceſſio quam tanquam palladium ſervant ac venditant potentiæ papalis Romani? Nuſquam ſane erit, ſi ius primatus

matus non residere censebitur in Episcopo ipso, velut Petri Apostolorum coryphæi successore, sed in urbe ipsa, vel in Ecclesia propter urbem. Talis primatus revera, ut ibidem vere Grotius affirmat, *nullam affert servitutẽ*, sed omnes Papæ pennas recisas aufert, & nudum humi deponit, dũ Papã tanquã Episcopum tantũ primum in ordine exhibet. Quid fiet deinde Cardinalibus, si Papa fiat primus duntaxat Episcoporum, qui nunc Archiepiscopos quasi iure suo præcedunt? Nempe in ordinem Diaconorum ac Presbyterorum & ipsi redacti, ut Papa in Episcoporũ, post Episcopos omnes regradabuntur. Quod an obtinere potuerit si vixisset, sane dubito. Quidquid sit, reddãt nobis Henotici, si possint, illum primatum secundum canones, & Papæ persuadeant, vel si persuaderi non potest, eum cogant contentum esse ordinis primatu, ut deinceps in ordine Episcoporum primus habeatur. Eo impetrato, vel patrato, statim Ecclesiæ Romanæ me reddam, non expectata reliquorum errorum emendatione.

Nam



Nam ea ſpe me ſuſtentabo, brevi fore, ut & reliqua corrigantur, remoto omnis reformationis obſtaculo, quod in omnipotentia & infallibilitate Papæ defigitur. Ut omnipotentiam illam elevet vel eludat, & omnẽ eius formidinẽ nobis de ea adimat, ad Parlamenta ridiculè nos remittit Gallicana, *quæ ſentiunt, iis Paparũ decretis ſe non teneri, quæ ſacris Scripturis ſecundum conſenſum Patrum intellectis aut conciliorum patrumve conſtitutionibus in Gallia receptis repugnant.* Parlamenta Galliæ hoc ſibi negotii datum credãt, ut revera datur, ut iura regum ſuorum tueantur adverſus Paparum invaſionem. Ideo eorum decreta pro nullis habeant, quæ contra regum maieſtatem faciunt. Ipſi quoque Epiſcopi Galliarum idem facere tenentur pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ, & quæ eam imminuunt Pontificum Romanum ſtatuta, nihili, pendere. Nos vero quibus noſtræ conſcientiæ libertatem curæ eſſe oportet, & ſalutem noſtram re omni eſſe cariorem; quæ ab Euangelio Chriſti pendet & in eius veritate tota ſita eſt, quidquid decreve-

crevere Papę quod ei veritati repugnet pro nihilo habere debemus, & talium decretorum ſanciendorum poteſtatem in eo deprecari & abominari. Hoc eſt Papam tollere, facultatem ei eripere ſtatuendi quod velit, & Chriſti inſtitutis contraria inſtituta ponēdi. Neſcit vero quid velit Grotius. Modo eam poteſtatem ſummam prorſus tollit, ad primatum ſecundum canones eam reducendo, modo minuit exemplo Parlamentorum, qui eam diluunt, atque ut vulgo barbari loquuntur, *modificant*. Sed niſi meracam agnoviſſet, fruſtra ante valvas Divi Petri Romæ ſtans, petiſſet ſe recipi. Exploſus æque fuiſſet dimidium confeſſus atque illi qui totum negant. Sed ut hypotheſi ſerviret, & propoſito conciliationis ſe accommodaret, delinificis verbis terrifica illa potentia fuit mollienda. Ita Diabolus, ne abſterreat quos inducere vult, nec cornua nec caudam iis oſtentat, & quam blandiſſima poteſt facie ſe exhibet. Sic Papam nobis repræſentat Grotius abſquę cornibus ſupremæ illius in Eccleſia poteſta-

tis

tis & ſine cauda huic annexa infallibilitatis. Sed quidquid faciant illi, qui Grotium ſequuntur, nunquã efficient ut cum Papa, qualis eſt, conciliationem nobis perſuadeant, aut cum eo qualem exhibẽt eam Pontificiis adprobent. Ita vel ipſo teſte Grotio convincã, nullam poſſe pacem inter diſſidentes de religione Eccleſiæ redonari quamdiu ſtabit Papa, qualis à ſuis habetur, & qualem ſe haberi vult. Nam cum eum nudum nobis cum primatu ordinis ad conciliationem proponat Grotius, & eum ſolum primatum ſecundum canones neceſſarium ad unitatem iudicet, ex eo colligimus non auctorem nobis futurum, ut ei reconciliemur, admittendo ſupremam eam & tyrannicam poteſtatem, qua ſeſe extulit non ſolum ſupra capita omnium Epiſcoporum & Patriarcharũ, ſed etiam Regum & Imperatorum. Ita quantum ad hunc articulum de Papa, vana eſt ſpes omnis cõciliationis, quę cũ effectu procedat. Alterutrũ eſt evincendũ, ut aut nos tyrannidẽ Papę qualis eſt cervicibus noſtris iterũ imponi patiamur, quod nec

ſua-

ſuadeat Grotius,aut ut Papa poteſtate illa infinita deiectus ad primatũ ſecundum canones ſe reduci patiatur, quod nunquam ille facturus eſt. Sed ponamus, ex duobus hoc unũ quod probat Grotius,tam facile factu eſſe quam ille putavit, immo iam factum, ut primatu ordinis Papa ſit contentus, & nos tales agnoſcamus, ut ipſe de me promiſi. Nondũ tamen ex ea conciliatione pax ſperanda ſolida foret. Vt aqua in incili, ſic in articulo de Euchariſtia adhuc hęreret. Quæ enim communio poteſt eſſe inter diſſentientes circa illud ipſum quod unicum inter Chriſtianos communionis vinculum eſſe debet? In illo quippe ſacramento percipiendo non ſolum fideles cum Chriſto coniunguntur, dum participes fiunt eius corporis & ſanguinis, ſed etiam fidelium inter ſe fit coniunctio. qui eodem corpore & ſanguine participant, eundem vitæ panem ſumentes, & ex eodem calice bibentes. Ita qui eodem pane veſcuntur ad eandem menſam, magnam oſtendunt vitæ ſocietatem & animorum coniunctionem. Inde &

com-

companis vel *companionis* vocabulum pro ſocio mille abhinc annorũ Latinitas recepit, quaſi συναρτους dicas, quos & συσσίτους Græcia appellavit, qui eodem convictu conſociarentur, eodem pane atque eadem menſa uterentur. Eiuſdem quoque vini & poculi uſurpatio eandem conciliat inter utentes concordiam, quia non ſine potu victus conſtat, & cum pane communi, etiam poculi inter commenſales communio agitur. Sola etiam patera communicata inter plures fœdera olim ſancita legimus, ſocietates initas, amicitias contractas, & conſpirationes firmatas. In Catilinaria vino ſanguine mixto plenam inter coniuratos circumlatã fuiſſe memorat Salluſtius. Hodie quoque ſponſalia ſic confirmantur, ſponſo & ſponſa ex eodem calice haurientibus. Ariſtoteles in Politicis primam & arctiſſimam κοινωνίαν conſtituit unius familiæ ſub uno tecto, eidem menſæ aſſidentium, fratrum & ſororum cum patre & matre. Charondas, eodem teſte philoſopho, ὁμοσιπύας vocabat, id eſt, eodem pane veſcentes. Nam

σιπύη

σιπὸν est vas in quo panis reponitur. Ἀρ-τοθήκην Grammatici interpretantur. Epimenides eosdem ὁμοκάπους vocabat, ab equis ducta metaphora, qui ex eodem præsepi hordeum comedunt. Antiquo enim Græco vocabulo κάπη est præsepe, à verbo κάπτειν, quod est comedere. Atque inde καπητὰ, equorum pabula. Christiani veteres fratres sese invicem appellarũt propter istam κοινωνίαν qua eodem pane vescebantur, tam sacro & sanctificato in corpus Christi, quam profano & usuali. Nam in eadem mensa utrumque participabant. Agapæ ad hoc instituta convivia ab Apostolis, quibus communem cibum capiebant in tẽplis Christiani illius tẽporis, & post cibum sumptum cœnæ dominicæ, id est, Eucharistiæ participes fiebãt, sicut institutio Christi postulabat. Istæ Agapę certo tẽpore usurpãdæ permãserunt usq; ad Chrysostomũ, sed in his præpostero tũ institutionis ordine à cœna sacra, id est, ab Eucharistia incipiebãt, & postea profanã sumebant. Indè etiã Ἀγάπη pro Eucharistia in Epistola Ignatii ad Magnesios, &, ut au-

ut audio, etiam in passione Perpetuæ martyris, quæ in bibliotheca Vaticana servatur. Paulus eiusmodi Ἀγάπην vocat Κυριακὸν δεῖπνον, *Cœnam Dominicam* in Epistola ad Corinthios priore cap. XI. vers. XX. Qui igitur de uno pane participabant, unum corpus constituebant, & unam Ecclesiam. Idem Paulus in eadem Epistola ad Corinthios prima, cap. X, v. XVII. ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Breviarium fidei adversus Arrianos auctore incerto, sed antiquissimo, *Dicit Apostolus de Ecclesia, quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Quia sicuti ex multis granis unus panis efficitur, ita ex multis populis una Ecclesia congregatur.* Non hanc rationem similitudinis reddit Apostolus, cur unus panis, & unum corpus multi essent, quia ex multis granis unus panis efficeretur, sed quod ex uno pane omnes participarent. Idque ostendit ibidem ipse Paulus exemplo Israelis, apud quem una vescentes carnibus victimarum, participes esse & κοινωνοὶ altaris credebantur. Βλέπετε,

inquit, τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα, οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσι; Ergo κοινωνία dicitur de plurium communione ac ſocietate, qui ex eodem pane & cibo edunt, de eodem poculo bibunt. Hinc & Euchariſtia dicta *communio* & κοινωνία, quod à pluribus ſimul communicantibus eidem pani & eidem calici ſumeretur. Reſpectu quippe ipſorum communicantium una fidelium, & hoc uno communionis vinculo inter ſe coniunctorum, id nomen accepit, ſed & Chriſti ipſius ratione, cuius corpore & ſanguine participabant. Duplex coniunctio in hoc ſacramento intervenit, omnium ſimul fidelium, qui eiuſdem pabuli divini conſortes fiebant ex eadẽ menſa id ſumendo, & ſingulorũ cum Chriſto, qui per participationẽ corporis eius & ſanguinis cũ ipſo uniebantur. Hæc ergo unio ſingulorũ, cum Chriſto virtute & beneficio huius ſacramenti propria fuit, omnium vero qui eo beneficio in eadem menſa fruebãtur, communio. Illa ἕνωσις, hæc κοινωνία. Generaliter quidem omnes ubicunque terrarum fideles, quibus hoc

idem

idem sacramentũ cõmune est, eadem etiam communione teneri censentur, sed pręcipue & proprie sumpta hęc vox strictiori notione de his dicitur, qui unum corpus speciale Ecclesiæ constituentes ad eandem mensam simul communicant, & in eodem templo. Hinc & *communio* absolute pro Eucharistia. Sic intelligendę eæ loquutiones in antiquis Conciliis Latinis, ut Eliberino & aliis, *communionem accipere*, *suscipere*, *dare*, *præstare*, *impertire*, pro Eucharistiam dare & accipere. Nec audiendus Episcopus Aurelianensis, qui omnibus illis locis *communionem* interpretatur, fidelium absq; Eucharistiæ participatione societatẽ. Ita κοινωνίαν etiam Græci acceperũt, ut Pseudo-Dionysius notavit, qui Eucharistiæ sacramentum nomine κοινωνίας & συνάξεως dictum esse censet, quod nos cum Deo coniungat & συνάγῃ. καὶ ἑνιαίως, inquit, ἀνηγόρευται κοινωνία καὶ σύναξις ἑκάστης ἱεροτελεστικῆς πραγματείας καὶ τὰς μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει τὴν πρὸς τὸ ἓν ἕνωσιν δωρουμένης. V-

tramque coniunctionis rationem tangit, & quod divinitati nos conciliet & cum ea uniat, & quod fideles invicem consociet, & in unum corpus colligat. Vtraq; ratio militat in hac appellatione Eucharistię, quia utraque in ea communio exigitur, fidelium inter se omnium, & singulorum cum Christo. De priore Paulus in illis quæ supra adduximus, ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus.* De posteriore idem Apostolus in priore ad Corinthios x. xvi. ὁ ἄρτος ὃν κλῶμεν οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος χριστοῦ; Idem & de calice ibi dicit. Inde ille panis de quo omnes participamus & quod in unum corpus nos colligit & congregat, quique nos cũ Christo συσσώμους facit, κοινωνίας & *communionis* nomine appellatur, quia κοινωνοὶ sunt eius divinitatis omnes fideles qui de eo participant. Hinc & *communio Dominica* vocatur in Eliberino Concilio Can. III. *Placuit ulterius, his non dandã esse communionem, ne lusisse de Dominica commu-*

communione videatur. Quo loco idem Episcopus Aurelianensis etiam fallitur, dum de simplice communione interpretatur, quod est ius in societate & corpore fidelium. Nam & *panis Dominicus*, & *cœna Dominica* passim vocatur. Itē ἐφόδιον δεσποτικὸν, *viaticū Dominicū*, in canone Nicæno. In eam opinionem inductus videtur canone v. Concilii Ancyrani, sicut Latine redditus est à Dionysio Exiguo, *Si compleverint pœnitentiam triennii temporis sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, ut ipsi non offerant.* In Græcis non est nomen κοινωνίας. Quod nunquam absolute legitur apud Græcos quin intelligatur de Eucharistia. Cum vero κοινωνίαν εὐχῶν dicunt, aut κοινωνῆσαι εὐχῶν, de iure consistendi in Ecclesia accipiunt, quod pœnitētibus quarti gradus concedebatur, ut interesse possent orationi, priusquā ad communionē reciperentur. Quod τὸ τέλειον appellabant. In illo autem Ancyrano canone sic habent Græca, τῷ τρίτῳ κοινωνήτωσαν χωρὶς προσφορᾶς, ἵνα τὸ τέλειον τῷ τριετίᾳ λάβωσιν. *Tertio anno communicent sine oblatione,*

latione, id est, sine Eucharistia, ut quarto demum sacramentum percipiant. Ibi προσφορὰ Eucharistia est, ut προσφέρειν & *offerre* absolute sæpe ponitur Græcis Latinisque pro Eucharistiam conficere. At Dionysius Exiguus προσφορὰν ibi accepit de oblatione privatorum qui diebus Dominicis solebãt dona ad altare offerre. Ita enim ipse explicavit in eodem canone, *Sine oblatione suscipiantur ad communionẽ, id est, ut ipsi non offerant*, id est, ut eorum dona ac munera quæ obtulerint altari, non recipiantur. Ab excommunicatis omnino non recipiebantur dona, quę offerebant in Ecclesia. Sed an aliqui ad communionem admittebantur, quorum tamen munera oblata altari repudiarentur? Ita intellexit Exiguus, & idem vocem *communionis* eo sensu posuit, quo vulgo accipi solebat, cum absolute sumitur pro Eucharistia. In Grǫco tamen κοινωνίαν δέχων accipere debuit, quæ fit sine προσφορᾶ, id est, sine perceptione Eucharistiæ quę προσφορὰ dicitur. Erraverit itaque, nec recte ceperit quænã esset κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς

φορᾶς, nisi quis dicat verba illa nõ ipsius esse, sed ab aliquo sciolo inserta, *ita ut ipse non offerat*. Certe κοινωνία ἄνευ, aut χωρὶς προσφορᾶς, est communio, ut ita dicam, sine communicatione. Sola precum communio eo nomine intelligebatur, quæ Græcis patribus κοινωνία εὐχῶν dicitur, ac pœnitẽtibus in quarto gradu quem σύστασιν appellabant, indulgebatur, ut orationis & precum essent participes, cæterum sine προσφορᾷ, hoc est, sive communicatione oblationis sive Eucharistiæ, quæ & προσφορὰ & ἀναφορὰ dicebatur. Basilius de pœnitentibus Epistola canonica III. can. XXIV. τῷ δεκάτῳ ἔτει εἰς τὴν τῶν πιστῶν εὐχὴν δεχθήτω χωρὶς προσφορᾶς. Et canone XXXI. de hoc eodem quarto pœnitentiæ gradu, καὶ δύο ἐν ἄλλοις ἄνευ προσφορᾶς εἰς τὴν κοινωνίαν προσευχῆς παραδεχθήσεται. Quod & alibi occurrit. Græci alii hanc σύστασιν ita describunt, ὁ γὰρ συνεστὼς συνίσταται μὲν μετὰ τῶν πιστῶν, οὐκ ἀξιοῦται δὲ τῆς θείας κοινωνίας. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Xystum apud Eusebium lib. VII. cap. IX. hoc vocat συνεστάναι ταῖς προσευχαῖς. Multum igitur differt θεία

κοινωνία, quæ & absolute κοινωνία diceba- tur, ab ea quæ κοινωνία προσευχῆς vel κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς vocabatur. Cũ legimus κοινωνίαν vel *communionem* absolute dictam, de ea accipi debet, qua cõmunicatur Eucharistiæ, non precibus solis & orationi Ecclesiæ. Chrysostomus in Epistola ad Acacium, ὁ κύριος μετὰ τὸ δειπνῆσαι κοινωνίαν ἔδωκε, *communionem dedit* Σύναξις autẽ etiam Græce appellata est Eucharistia, non quod nos cum Christo iungat, sed quod populus fidelium ad eam participandam colligatur & conveniat. Hoc enim συνάγεσθαι est, convenire & colligi in unum. Inde & συναγωγὴ Iudaica appellata eadem notione. Vnde ἀσύνακτος pro excommunicato & cui non licet ad Ecclesiam venire & cœtibus fidelium interesse, ut particeps cum iis sit & κοινωνὸς Eucharistiæ, ut ἀποσυνάγωγος Iudæis dicebatur, à Synagoga eiectus. Ita ergo σύναξις & κοινωνία idẽ, pro Eucharistia, quia conveniebant, id est, συνήγοντο, ut eam perciperẽ possent. Paulus in Epistola ad Corinthios priore cap. XI. συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὐκ

ἔστι

ἴσι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Id eſt; συναγομένων. Iuſtinus Martyr vocat συνέλευσιν Apolog. II. Τῇ δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέρᾳ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, id eſt, τὴν σύναξιν. Certe *collectam* Latini reddidere, quæ Græcorum eſt σύναξις. Vnde *collectam tenere* idem quod *Eccleſiam tenere*, in Concilio Emeritenſi, & in Epiſtola Hieronymi adverſus Iohannem Hieroſolymitanũ, *non teneret Eccleſiam*. Dicebant & *tenere miſſam*, quia *miſſam* pro congregatione & Synaxi uſurparunt. Vt Græcis σύναξις pro cœtu collecto ad Euchariſtiæ communicandum, ita etiam Latinis *collecta*. *Collectam* autem & *miſſam tenere* dicitur, ut & Eccleſiam qui præſens eſt dum Euchariſtia celebratur. Vt apud Cæſarium Oratione XII. *Vſque quo oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet Eccleſiam tenere.* Ita enim ibi ſcribendum non, *in Eccleſia ſe tenere.* Eccleſiam tenet qui uſque ad finem peractæ ſollemnitatis in Eccleſia manet. Ita & *prætorium tenere* & *concionem* dixere. Sic *miſſam* etiam *tenere*, in Con-

cilio Braccarensi primo, *Si quis quinta feria Paschali quæ est Cæna Domini hora legitima post nonam ieiunus in Ecclesia Missam non tenet.* Ita in Concilio Agathensi, *Missas die Dominica sæcularibus tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis regredi populus non præsumat.* Idē præcipitur isto canone, quod Cæsarius in homilia sua præscribit. Nam eodē sensu ille *Ecclesiam tenere* dixit quo patres isti *Missam tenere.* Quod autē nulli olim eiusmodi fidelium cœtus & collectæ fierent nisi ad Eucharistiam participandam, ideo & σωύαξις pro ipsa Eucharistia, ut *communio* vel κοινωνία. In Epistola Timothei συναχθῆναι dicitur qui ad communionem admittitur, & ἀπὸ συνάξεως χωρίζεσθαι qui ab ea arcetur. Dionysius non Areopagita, antiquus tamen auctor, μυστήριον συνάξεως, ἤγουν κοινωνίας. Chrysostomus Homilia XXVII. In Epistolam ad Corinthios priorem cap. XI. καὶ τῆς συνάξεως ἀπαρτισθείσης, μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν. Vt autem Græcis σύναξις pro Eucharistia ponitur, ita & Latinis *collecta* & *missa*, quę idem significant.

ficant. Hinc *missam facere*, pro Eucharistiam facere vel conficere, & *sacramenta conficere*. Sic enim dixerunt & Latini auctores οἱ ἔξωθεν, *sacra facere* & *conficere*. *Panem facere*, & ἄρτον ποιεῖν, etiam sacri scriptores. Ambrosius in Epistol XIII. ad Marcellinam sororem, *Ego mansi in munere, missam facere cœpi, dum offero, raptum cognovi castulum quendam*. Hoc dixere & *Collectam facere*. Vt in Epistola Epiphanii ad Iohannem Hierosolymitanum ex versione Hieronymi: *Quando simul pergebamus ad sanctum locum cui vocabulum Bethel, ut ibi collectam ex more Ecclesiastico tecum facerem*. Paulo post *celebrare collectam* pro eo posuit: *Cum igitur celebrarem collectam in Ecclesia villæ quæ est iuxta monasterium nostrum*. Liberatus in Breviario cap. XVI. Vt *neque collectas, neque baptismata hæreticos sineret celebrare*. Inde & per abusum posteriores orationes missæ dixere *collectas*. Vnde istæ porro loquutiones in usum venere? Quia nunquam in primitiva Ecclesia Eucharistiæ sacramentum celebrabatur, quin omnes qui adessent,

essent, eidem communicarent. Nulla unquam Synaxis fiebat sine communione omnium qui intererant. Si quis nollet communicare eo die quo conventus fidelium agebatur, quod propria conscientia nondum satis examinata & probata eum à communione prohiberet, aut quod sibi odii vel simultatis adversus fratrem conscius esset, aut si aliam quamcunque causam non communicandi haberet, non solebat cum aliis ad Synaxim convenire. Quia autem solvebatur ieiunium sumptione Eucharistiæ, si qui etiam erant qui sibi privatim particulari abstinentia ieiunare voluissent, non ad Ecclesiam accedebāt, ne votum violarent communionem accipiendo qua solvebatur ieiunium. In tali tamen casu Tertullianus modum reperit quo utrique muneri satisfieret, ut nempe qui votivum ieiunium & spontaneum suscepisset, nihilo secius ad Eucharistiæ celebrationem accederet, & eam acciperet sed domum ferret & reservaret donec tempus dissolvendi ieiunii venisset. Verba Tertulliani in libro

eius

eius de Oratione sic habentur: *Similiter & Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod Statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne sollemnior erit Statio tua, si & ad arā Dei steteris? Accepto corpore Domini & reservato utrumq; salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Loquitur ibi, ut ex praecedentibus apparet, de iis qui ieiunabant, sumpto per se propria ac privata devotione ieiunandi proposito, non ex imperio nec ex ordine Ecclesiae. Legitima autem ac plena ieiunia, sive quae ab Ecclesia indicerentur, sive quae privata quis religione susciperet, non solvebantur nisi vespertino tempore ad exortum stellae, ut loquebantur, & hora diei duodecima. Bis autem in septimana die Veneris & Mercurii multis in locis, ut in Africa tum, Stationes fiebant, quae erant dimidiata, ut ita dicā, ieiunia, quae hora nona resolvebantur. Qua hora conveniebant in Ecclesiam, ibique celebrata Eucharistia & accepta

pta ſinguli domum redibant & cœnabant, ad illud uſque tempus ieiuni. Non alia autem de cauſa illis diebus ſolebant in unum convenire & Euchariſtiā participare quàm ut ieiunium ea hora finiendum, accepto Domini corpore, ſolverent. Longe autem errant viri docti, dum putant, illis Stationum diebus Chriſtanos ab exortu ſolis in templo perſtitiſſe uſque ad horam nonā, orationi & verbi divini auditioni vacantes. Ad nonam quippe horā, aut paulo ante convenientes in templum, non plus tēporis in eo manebant quam Euchariſtiæ celebratio teneret, ut oſtendi facile poſſet, ſi hoc ageretur. Legitima autem & ſolida ieiunia ætate Tertulliani non ultra veſperam, hoc eſt, horam diei duodecimam & ſolis occaſum, extendebantur, ut ex multis eiuſdem auctoris locis conſtare poteſt. Poſterior ætas longiora & auſteriora habuit, quæ uſque in mediam noctem protraherentur, & primum galli cantum. ὑπερθέσεις Græci nominabant, & Latini *ſuperpoſitiones*. Ex eo igitur loco Tertulliani, quem ſupra ex libro

eius

reius de Oratione, adduximus, luce liquidius apparet, nullos illis temporibus interfuisse Synaxi sacræ qui non & communicarent. Vulgaria, ut dixi, & plena ieiunia, sive ab Ecclesia indicerentur, sive quis ea propria voluntate capesseret, vespertino tempore terminabantur. Stationes autem, quæ semiplena erant ieiunia Ecclesiæ statis diebus celebranda, & hora nona perceptione Eucharistiæ in Ecclesia solvi solita, non usque ad vesperam protendebantur. Ideo si qui ex proprio voto ieiunarent illis diebus quibus Ecclesia Stationes eas, sive ieiunia nõ plena, habebat, non consueverant conventibus iis intervenire, ne maturius quam par esset ieiunium suum votivum abrumperent. Hoc sibi minime probari Tertullianus eo loco testatur, ut quisquam ea de causa à cœtu fidelium abstineret, & Deus propter Deum relinqueretur, sed vult eos adesse nihilominus, citra ieiunii tamen sui violationem, cum & huic satisfieri possit, & Ecclesiæ consuetudini, Eucharistiam accipiendo & reservando, quam sumerent domi

exacta

exacta ieiunii integri quod ieiunandum suscepissent hora. Mos sane tunc frequens postilla fuit Christianis, ut qui propter istam aut aliam causam eo die quo Eucharistiæ omnes cõmunicabant fideles, eius participes fieri nollẽt, suam panis particulam acciperent, & vini portiunculam, quas domum secum ferrent, & quando vellent sumerent. Quod de Gorgonia sorore narrat Gregorius Nazianzenus, & de aliis multis exempla sunt obvia apud auctores. Eaque etiam confirmant, neminem tum frequentasse cœtus Ecclesiasticos, cũ celebrarentur sacramenta corporis & sanguinis, quin aut vere iis communicaret in Ecclesia, aut accepta ad communicandum reservaret ac domum ferret. De ætate Tertulliani, quod ita mos esset perpetuus, ut nemo sine communicatione synaxibus interesset, ipse testis est luculentus. Non minus clara res est, ita semper fuisse quamdiu pœnitentia publica cum suis gradibus ac numeris in Ecclesia acta est. Eam vero Nectarii tantum tempore in Oriente abolefactam liquet, sub finem quarti

quarti sæculi. Diutius in occidente retenta est. Duabus partibus per illud omne tempus constabat Synaxis, & ex duplici hominũ genere. Alii communicabant, alii non. Non communicantium fuere Catechumeni & Pœnitentes, Cæteri omnes fideles præter hos communicabant. Non omnes autem Pœnitentes intelligo, sed eos qui iam quartũ gradum attigerant, quem σύςασιν vocabant. His solis una cum fidelibus intra Ecclesiam eodem loco consistendi ius erat, ibique non solum audiendæ scripturæ sacræ lectioni interesse, sed & precibus quæ fiebant in ea Synaxis parte poterant cõmunicare. Ideo & *communionem precum* habere dicebantur, ut supra diximus. Sed multa hinc confusio potest oriri, nisi distinctius explicetur ea differentia graduum quibus Pœnitentes discernebantur. Latini etiam Græciq; vix possunt in his cõciliari, nisi accuratior adhibeatur horũ explicatio & distinctio. Fefellit & Latinos vox ἀκρόασις & ἀκροώμενοι, quæ de Pœnitentibus in secundo gradu consistentibus apud Græcos accipi-

tur, qua iis ſacram Scripturam tantum audire licuit intra regias Eccleſiæ admiſſis. Cum enim Latinis *Audientes* dicerentur Catechumeni, inde & Græci iſtos ἀκροωμένους, qui erant *audientes* quidem, ſed Pœnitentes & fideles, pro Catechumenis acceperunt. Hinc orare & ſtare inter Catechumenos de his Pœnitentibus dicere ſolent, cum tamen apud Græcos non ſtarent, nec orarent inter Catechumenos. Exibant quidem cum Catechumenis, ſed cum his non ſtabant. Canon xi. Nicæni Conclii, τρία ἔτη ἐν τοῖς ἀκροωμένοις ποιήσουσι οἱ πιστοί. *Tribus annis ſtabant inter eos qui audiunt fideles.* Id eſt, inter Pœnitentes audientes. Vetus Scholon addit, οὐ γὰρ καὶ οἱ κατηχούμενοι οὕτω. *Non enim ſic & Catechumeni.* Gregorius Thaumaturgus ita hanc ἀκρόασιν Pœnitentium exponit. Ἀκρόασις, inquit, ἔνδοθεν τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἁμαρτήσαντα, ἀλλ' εἰς τοὺς κατηχουμένους ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. ἀκούων γὰρ τῶν γραφῶν καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω τῆς προσευχῆς. Ergo ἀκροώμενοι iſti Pœnitentes dicebantur, quod Scripturas

ſacras

ſacras audirent tantum & ſermones habitos ad populum doctrinæ gratia, ſed è ſuo loco exibant cũ Catechumeni diſcederent, non una cum iis ſtabant. Baſilius tamẽ videri poſſit per ἀκροωμένους intelligere Catechumenos. De hoc enim gradu ita ſcribit Epiſt. III. can. VI. μετὰ δὲ τέσσαρα ἔτη εἰς τοὺς ἀκροωμένους δεχθήσεται, καὶ ἐν πέντε ἔτεσιν μετ' αὐτῶν ἐξελεύσεται. Poſt quattuor annos inter Audientes recipietur, ſed per quinque annorum ſpatium cum iis egredietur. Verũ omnino tamen de Pœnitentibus audientibus hæc ſunt accipienda. Nuſquam enim Græci Catechumenos vocare ſolent ἀκροωμένους, ſed κατηχουμένους tantum. Concilii Laodiceni canone V. vetatur ordinationem fieri ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων, *ſub conſpectu audientium.* Audientes iſti ſunt Pœnitentes ſecundi gradus, non Catechumeni. Et omnino conſtat falli qui putant duos ordines fuiſſe in Eccleſia Græca Catechumenorum nominibus diſtinctos, quorum alii dicerentur *genu flectentes*, alii *audientes* ſive ἀκροώμενοι. Perperam id colligunt ex can. XIII. Concilii Nicæ-

ni: ubi de lapsis Catechumenis statuitur, ut postquam per spatium annorum trium audiverint, id est, inter audientes ex Pœnitentibus fuerint, iterum admittantur ad orandum inter Catechumenos, *ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροασαμένους μόνον μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων*. Ex omnibus pœnitentiæ gradibus hic solum imponebatur peccãtibus Catechumenis, ut inter audientes starent pœnitentes inter ianuam Ecclesiæ. Unus tamẽ tantum ordo fuit Catechumenorum hoc nomine. Nec aliud dicit canon IV. Concilii Neocæsariensis: *κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς τὸ κυριακὸν ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ*. Unum hæc declarant fuisse ordinem Catechumenorũ Ecclesiam ingredientium, & in ea orantium. Hos distinguit ab illis qui domi instruebãtur ac discebant ea quæ sunt fidei, necdum recepti erant in ordinem Catechumenorum in Ecclesia publicè orantium. Hos Latini *Audientes* vocabant, quia audiebant Scripturam sacram in Ecclesia. Sed & *Competentes*, quia Baptismi erant veluti candidati. Vetustissimus Latinus inter-

interpres huius canonis recte Catechumenum Latine interpretatur *Audientem. Catechumenus*, inquit, *id est, Audiens, qui ingreditur Ecclesiã, & stat cum Catechumenis, si peccare fuerit visus, figens genua audiat verbum, sed ut abstineat ab idolo peccati. Quod si in eo perduret, omnino debet ejici.* Sed non assequutus est mentem canonis, & legisse videtur, γόνυ κλίνων ἀκροάσθω. Putavit enim, Catechumenos stantes in Ecclesia verbum audisse, & peccantibus hanc irrogatam fuisse pœnitentiam, ut genu flectentes orarent. Quod falsum est, cum verũ sit contrarium. Canon cũ iubet ἀκροᾶσθαι Catechumenũ qui peccaverat, stantẽ eum orare plane vult. Nã ἀκροώμενοι stantes verbum divinum audiebant. Et intra ianuam tantũ Ecclesiæ, non intra ipsam Ecclesiã, ut Catechumeni. Ipsi autẽ Catechumenis genu flexo audiebant verbum. Hinc legimus apud Tertullianũ, *Ingressuros baptismũ, orationibus crebris, geniculationibus, ieiuniis & pervigiliis orare oportere.* Canon igitur Neocæsariensis, eum qui ex Catechumenorum est ordine, & in Ec-

clesia orantium de geniculis si peccet, ad ἀκροωμένους relegat, id est, ad secundum ordinem Pœnitẽtium, qui stantes Scripturam sacram audiebant, Hoc est quod dicit canon, γόνυ κλίνων ἀκροάσθω, id est, cum de geniculis oraret, verbũ stans audiat, & pro Catechumeno fiat Pœnitens secundi gradus. Nam statim adiicit, ἐὰν δὲ καὶ ἀκροώμενος ἔτι ἁμαρτάνῃ, ἐξωθείσθω. *Si Audiens adhuc peccare perseveret*, id est, in Audientium Pœnitentium ordine stans, *ab Ecclesia eiiciatur*. Magna igitur differentia *Audientium* sive ἀκροωμένων Græcæ Ecclesiæ, & *Audientium* Latinæ. Et cum vetus interpres Catechumenum exponat *audientem*, ineptum esset, nisi quis morẽ utriusq; Ecclesiæ discernat, *audientẽ* ad *audiẽtes* pro pœna peccati relegare. At Catechumenum ad ἀκροωμένους, remitti, id est ad Pœnitẽtes secũdi gradus, rectum est. In ordine liturgiæ qualis traditur à Concilio Laodiceno can. xix. post Alloquutionẽ Episcoporum, quæ διδασκαλία dicitur Thaumaturgo, oratio fiebat super Catechumenos, & postquam Catechumeni egressi fuerãt

tum super eos qui erant in pœnitentia preces fiebant. Ergo iuxta hunc ordinem prius Catechumeni exibant, tum Pœnitentes. Sed notandum, proprie per Pœnitentes, τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας, ut ibi vocantur, debere intelligi Pœnitentes tertii gradus. Μετάνοια enim proprie de hoc gradu dicebatur, ut constat ex Epistola Basilii Canonica II. can. VI. ἔστι δὲ, inquit, ἐν τέτρασιν ἔτεσιν ὡρισμένη τοῖς πορνεύουσιν ἡ ἐπιτίμησις. χρὴ γὰρ τῷ πρώτῳ ἔτει ἐκβάλλεσθαι τῶν προσευχῶν, καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς ἐκκλησίας. τῷ δευτέρῳ δεχθῆναι εἰς ἀκρόασιν. τῷ τρίτῳ εἰς μετάνοιαν. τῷ τετάρτῳ εἰς σύστασιν μετὰ τοῦ λαοῦ χωρὶς τῆς προσφορᾶς. Ergo ἀκρόασις illa pœnitentium fuit in secundo gradu consistentium quibus audire modo licuit Scripturæ sacræ recitationem, & alloquutionis doctrinam. Qua peracta fiebat εὐχὴ κατηχουμένων. Hæc erat *Missa Catechumenorum* Latinis. His egressis *Missa Pœnitentium* fiebat, quæ εὐχὴ dicitur τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων eodem canone Laodiceno. Sed de Pœnitentibus tertii gradus ea, ut dixi, proprie vocabatur, quæ & ὑπόπτωσις etiam appellata.

 pellata.

pellata. Et quia peculiaris pro his oratio habebatur, ut & pro Catechumenis ideo passim in canonicis Græcorum Patrum scriptis, ἐν ὑποπτώσει προσευχόμενοι, vel δεξάμενοι dicuntur. Dionysius Exiguus in versione Concilii Ancyrani *pœnitentiam agere*, loquens de his, proprie id vocat, & ὑποπεσεῖν sic Latine reddidit, & ἐν ὑποπτώσει ὄντας *Pœnitentes*. Et hi sunt, ut dixi, de quibus proprie Grecis τῆς μετανοίας vocabulum usurpatum. At, qui erãt in ἀκροάσει Pœnitẽtes, quique vocabantur ἀκροώμενοι, hi oratione non participabant. An quia cum Catechumenis exibant, orationis quæ pro iis fiebat, fuere participes? Vix putem. Egrediebantur itaque ante Catechumenos. Atque ita scribendum in Gregorio Thaumaturgo, ἀλλὰ πρὶν ἢ τοὺς κατηχουμένους. Et sane ita oportet. Nam subiungit, eos, postquam audiverint Scripturę sacrę lectionẽ, ab Ecclesia eiici, καὶ μὴ ἀξιοῦσθαι προσευχῆς. Ergo ne orationi quidẽ Catechumenorum interesse poterant. Quin & vetus incertus auctor solos Pœnitentes tertii gradus una cum Catechumenis exire soli-

solitos dicit. Nihil tale autem scribit de secundi gradus pœnitentibus. ὁ γὰρ ἐν ὑποπτώσει, inquit, καταξιοῦται μὲν συνίστασθαι ἐν τῷ ναῷ, ἐκφωνουμένου δὲ τοῦ διακόνου περιελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, συνεξέρχεται καὶ αὐτός. Non tamen eodem instanti cum Catechumenis exibant, sed illis digressis oratio pro his habebatur, & tunc egrediebātur & ipsi, ut ex canone Laodiceno patet. Enimvero in Latinis etiam Ecclesiis Pœnitentes illi secũdi gradus quos Græci vocant ἀκροωμένους, non expectabant catechumenorum missam, id est, κατηχουμένων ἀπόλυσιν, sed prius discedebant post lectam Scripturam. Nam in Concilio Ilerdensi can. IV. expressis verbis Pœnitentes *usque ad Missam Catechumenorum in Ecclesia admittuntur*. Verum de his alibi. Post ὑπόπτωσιν quæ & μετάνοια proprie, qui fuit tertius gradus pœnitentium, sequebatur quartus, quæ & σύστασις, qua iidem Pœnitentes in Ecclesia consistendi potestatem habebant cum fidelibus, & una cum his orationibus communicandi. Hæ *orationes fidelium dicebantur*. εὐχὰς τῶν πιστῶν appellat

 Conci-

Concilium Laodicenum can.xix. Ternas fuisse dicit quas auspicabantur post digressum Pœnitentium tertii gradus. His igitur precibus fidelium communicabant quarti gradus Pœnitentes, qui κοινωνίαν εὐχῶν, ut diximus, habere dicebantur, id est, communionem precum sine oblatione, χωρὶς προσφορᾶς. Quæ προσφορὰ intelligitur oblatio ipsa, sive confectio Sacramentorum & participatio. Ridiculi enim sunt Episcopus Aurelianensis cum Petavio, qui de alio genere oblationis interpretantur. An aliter προσφορὰν, intelligere possunt in his verbis Gangrensis Concilii can. IV. quam de sacrificio & Sacramento altaris? εἴτις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis discernat presbyterum qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.* Item in Synodo Ancyrana can. XVI. ἐφάπτεσθαι τῆς προσφορᾶς & τυγχάνειν τῆς προσφορᾶς, *oblationem adipisci & consequi*, non nisi de communione Sacramētorum possunt accipi. Dionysius

ſius Exiguus, *oblationis ſacramenta contingere*, & *oblationis ſacramenta percipere* Latine reddidit. Poſſem & alia proferre teſtimonia. Sed hæc ſufficiũt. Ita certe τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι accipitur can. XIX. Laodicenæ Synodi, ubi poſt pacem datam invicẽ & acceptam dicit τὴν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι, ſanctam celebrari oblationẽ. Hinc igitur ſatis intelligi poteſt quinam dicantur habere communionem τῶν εὐχῶν χωρὶς προσφορᾶς, ſine participatione, nimirum ſanctæ oblationis, id eſt, ſacramentorũ corporis & ſanguinis Dominici. Precibus igitur finitis fidelium, quibus participabant Pœnitentes quarti gradus, illi qui erant ἐν συστάσει, diſcedebant, & tum pacem ſibi invicem dabant fideles, præparantes ſe ad communionem. Cyrillus duas habet catecheſes de ſacramento Euchariſtiæ, priorem & poſteriorem, in numero catecheſium quartam & quintam. Prior ea continet quæ poterant audire, & quibus intereſſe ius habebant, Pœnitentes quarti gradus. Poſterior à lotione manuum incipit, & pacis datione,

tione, cui soli intervenire licitum erat iis qui ius communionis habebant. Oratione igitur peracta fidelium, cuius communicationem etiam habuere Pœnitentes quarti gradus, Diaconus clamabat, *οἱ ἀκοινώνητοι προέλθετε. Qui non communicatis, discedite*. Non Catechumeni eo dicto, sed Pœnitentes quarti gradus exibant. Tum post eorum egressum, ubi Diaconus aquam manibus dedisset Episcopo & Presbyteris qui mensam circumsistebant, clamabat, *ἀλλήλους ἀπολάβετε, καὶ ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα.* Ad quam vocem fideles sese mutuo osculabantur, id est, communicantes omnes. Ante illum *ἀσπασμὸν* reliqui quibus ius communionis non erat, abibant, ut Pœnitentes de quibus dixi, & Catechumeni. Timotheus Alexandrinus in Canonicis Responsionibus, *ἐν τῇ θείᾳ ἀναφορᾷ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τοῦ ἀσπασμοῦ, οἱ ἀκοινώνητοι προέλθετε. οὐκ ὀφείλουσιν οὖν παρεῖναι. Cum divinum sacrificium celebrandum est, Diaconus denuntiat ante osculum pacis, qui non communicatis discedite. Non enim debent adesse.* Ad hanc Diaco-

Diaconi edictionem non alii exibant nisi qui ius communionis non habebant. Cæteri ergo fideles quibus communione interdictum non erat, remanebant & communicabant. Nam si quis cum ἀκοινωνήτοις egressus fuisset, is aut habitus esset pro Catechumeno, aut pro Pœnitente & excommunicato. Sed noti erant Catechumeni. Non poterat igitur fidelis egrediens ante communionem pro alio haberi quam pro eo qui pœnitentiam ageret ob aliquod grave & atrox delictum. Turpe enim fuisset non excommunicato, una cum excommunicatis exire. Nemo itaque recedebat fidelium, sed omnes qui ad Ecclesiam accesserant, huic secundæ Synaxi solebant interesse, & una cum reliquis communicabãt. Si qui nollent communicare, conventu se abstinebant. Sed rursus non ultra duas Dominicas abesse cuiquã licuit, nisi si vellet obnoxius esse censuræ Ecclesiasticæ, & corripi ob defectum pietatis, & suspendi etiam ad aliquod tempus. Nam veterum Conciliorum decretis sancitum erat, si quis in civitate positus

ſitus per tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſiſſet, pauco tempore eſſe abſtinendum correptionis gratia. Ita ſanxit Concilium Eliberinum. Græci etiam canonum cõpilatores, pœnam indicunt, τοῖς ἐπὶ τρεῖς κυριακὰς μὴ συνερχομένοις εἰς ἐκκλησίαν. Omnes igitur fideles omnibus ſacris conventibus & præcipue iis qui Dominicis diebus habebantur adeſſe debebant, & communicare omnes. Ita enim obtinuit quãdiu publica pœnitentia viguit in Eccleſia. Ea ſublata in Orientalibus Eccleſiis, & poſt paulo ſenſim aboleſcente in Occidentalibus, aut in aliud genus pœnitentiæ votivæ mutata, cum iam diſtingui in Eccleſia nõ poſſent Pœnitẽtes à non Pœnitentibus, excõmunicati à cõmunicantibus, quia nemo publicè agebat poenitentiã, remoto hoc pudore ac metu, ne is pro pœnitente accipi poſſet, qui ante cõmunionem decederet, laxari tum cœpit diſciplina, multis ad Eccleſiam convenientibus, qui contenti tractatione ſcripturarum & Oratione, antequam celebrarẽtur Sacramenta, exibant. Quod tamen & ipſum

ſum variis Conciliorum cōſtitutis prohibitum eſt, & Patrum increpationibus & cenſuris reprehenſum. Ex Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi homilia XII. conſtat, multos eo tempore fideles Synaxi interveniſſe quando divinæ lectiones tractabantur, ubi vero hora venerat munerum offerendorum, & corporis & ſanguinis Dominici conſecrandi, dilabi ſolebant. Quibus ille graviter ſuſcenſet. *Qui vult*, inquit, *Miſſas ad integrum cum lucro animæ ſuæ celebrare, uſque quo oratio dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde debet Eccleſiam tenere.* Adiicit ibidem, *Non fieri miſſas quando divinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offerantur, & corpus vel ſanguis Domini conſecretur.* In ea collectione canorum quæ tribuitur Theodoreto, Titulus eſt contra eos qui οὐ προσμένουσι τὴν τῶν ἁγίων μετάληψιν μετὰ τὰς ἀναγνώσεις. Qui non Eccleſiam tenent uſq; ad Sacramentorum participationem poſt recitationes Scripturarum ſacrarum. Sic enim habet in Titulo LXX. compilationis, περὶ τῶν ἐπὶ

ξεῖς

τρεῖς κυριακὰς μὴ συνερχομένων εἰς ἐκκλησίαν; καὶ τῶν μὴ προσμενόντων μετὰ τὰς ἀναγνώσεις τὴν τῶν ἁγίων μετάληψιν. *De his qui per tres dominicas non conveniunt ad Ecclesiam, & de his qui post lectiones Scripturarum non exspectant participationem sacramentorum.* Valafridus Strabo in libro de Rebus Ecclesiasticis cap. xx: *Apud Græcos quoque illi qui duas Dominicas vel tres sine cõmunione transierint, excommunicati dicuntur.* Nemo igitur tunc fidelium ad Ecclesiam veniebat nisi communionis percipiendæ gratiæ. Hæc plane cõfirmant, neminem mansisse usque ad celebrationem eucharistiæ qui non communicaret, & omnes qui adessent dum celebraretur, communicasse. Eo tempore κοινωνεῖν & συνάγεσθαι vel συνέρχεσθαι εἰς ἐκκλησίαν, *communicare, & ad Ecclesiam venire*, vel Synaxi interesse, idẽ erat, & promiscue dicebatur. Quod egregius locus Basilii ostendit in Epistola ad Cæsarium Patriciũ de cõmunione, ἡμεῖς μέντοιγε τὸ τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ. *Nos quidẽ quater in septimana com-*

communionem usurpamus, die Dominica, feria quarta, die veneris, & sabbatho. Idem est ac si dixisset, *τέταρτον συνερχόμεθα εἰς σύναξιν.* Nam quoties fideles in Synaxim coibant, toties omnes communicabant. Dicit ibi Basilius, pulcrum esse & utile, omnibus diebus communicare corpori & sanguini Christi, id est, liturgiam quotidie celebrare, & populum ad communionẽ admitti, sed more suæ Ecclesię quater tantũ singulis septimanis id fieri. Nam in quibusdam Ecclesiis Synaxes quotidie haberi solebant, & à fidelibus communio percipi. Augustinus Epistola CXVIII. *Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico. Alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur. Alibi Sabbatho tantum, & Dominico. Alibi tantum Dominico.* In Ecclesia Alexandrina quotidie cõmunio videtur celebrari solita & haberi Synaxis. Timotheus certe Alexandrinus interrogatus an fidelis qui vexabatur spiritu immundo Sacramentis corporis & sanguinis quotidie participare deberet, respondit, si mysteria non enuntiaret,

nec blasphemaret, posse admitti ad cõmunionẽ, non omnibus quidẽ diebus, sed sufficere, si communicaret Dominicis & festis. Ἐὰν μὴ ἐξαγορεύῃ τὸ μυστήριον, μήτ' ἄλλως πως βλασφημῇ, μεταλαμβανέτω, μὴ μέντοι καθ' ἑκάστην, ἀρκεῖ γὰρ αὐτῷ κατὰ κυριακὴν, ἢ καὶ ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ μόνον. Alio tamen loco idẽ aperte significat, diebus tãtũ duobus in septimana sacrificiũ spiritale Deo offerri solitũ, sabbato nimirum, & Dominico, in Canonicis Responsionibus, ἐξ ἀνάγκης δὲ τῷ σαββάτῳ καὶ τῇ κυριακῇ ἀπέχεσθαι δεῖ διὰ τὸ ἐν αὐταῖς τὴν πνευματικὴν θυσίαν ἀναφέρεσθαι τῷ θεῷ. Hoc sensu καθ' ἑκάστην in eo loco non de omnidie foret accipiendũ, sed quotiescũq; offertur. Præter Dominicum autem etiam Sabbato offerebatur sacrificium. Planum sic est, reliquis diebus quibus non communicaretur, ad Ecclesiam eum accedere noluisse Energumenos. Sed hæc infra aliter solvimus quæ videntur contraria. Dionysius Petavius, qui vir est eximius Grotio, Animadversionibus in Epiphanium, ubi tractat de Ritibus Ecclesiasticis, ait, falsissimum esse

quod

quod hereticis quibusdam nimium stolide persuasum esse videret, nunquam in veteri Ecclesia Missam auditam à fidelibus esse quin una communicarent. *Quo in errore*, hæc eius verba sunt, *sane stupidissimo versatur Casaubonus in Exercitationibus*. Hæc est modestia hominum pacis Ecclesiasticę amantiũ, ut videtur Grotio, atq; optima cõsilia eã cupientibus restitutã pro sua moderatione & peritia suggerere mire idoneorum. Casaubonus inter alia testimonia quibus id adstrui posse putauit, Eusebium etiam citavit lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. II. ubi *εὐχαριστίας ἐπακούειν*, *Missam audire*, dicit de eo quem narrat cõmunicasse. Quod optima ratione ab eo dictũ nemo negaverit nisi qui rationis ipse sit expers. At stolido ille stolidior & merus stupor Petavius, ut iure audiat quod in alterum dixit iniuria, eum ipsum locum Eusebii facere unice credidit ad cõtrariũ probandũ, nihilq; alienius esse scripsit quã id quod à Casaubono ibi observatum est. Ut certius hoc perspici posset, verba ipsa Eusebii retulit,

quæ ſic habent, εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα καὶ ταύτην καταδεξάμενον. Mirabili ratiocinatione arguit, ex his probari, *diverſum quiddã eſſe ac diſtinctum* ἐπακούειν τῆς εὐχαριστίας *& participare Dominico corpori, quamvis hæc duo tum ab illo præſtita fuerint.* O acumen Grotio laudandum! O iecur Loioliticũ! Diverſum eſt, Miſſam audire & communionem accipere. Ecce qui utrunque faciat. Ergo falſum eſt, in vetere Eccleſia Miſſam à fidelibus ſimul auditam fuiſſe & ſimul in ea communicatũ eſſe, & in ſtupidiſſimo errore verſantur qui ſic colligunt. Quo magis autem mireris hominis eximii ſtoliditatem & imperitiam; in illis Euſebii verbis εὐχαριστία non eſt *Miſſa*, ut accepit Cauſaubonus, ſed gratiarum actio quæ à præſidẽte cœtus fiebat ad benedicendum panem & calicem, priuſquam communicantibus divideretur. Notandum porro eſt obiter, ea verba non eſſe Euſebii, ſed Dionyſii Alexandrini ex quinta eius Epiſtola de baptiſmate

ſmate

ſmate ad Xyſtum. Si hoc animadvertiſſet Ieſuita, quanta convitiorum plauſtra in Caſaubonum effudiſſet? Si Euchariſtia eo loco acciperetur pro ipſis Sacramentis corporis & ſanguinis Domini, quis poſſet dici eius ἐπακούειν? Quis reſpondere ad illam ἀμήν? Nonne vel cæco apparet, ibi accipi debere hanc vocem pro ipſa gratiarum actione ac benedictione? In recentiorum Liturgiis Grẹcis & Aegyptiacis tres εὐχαριστίαι ſive gratiarum actiones in ordine Officii divini reperiuntur. Una quæ præcedit conſecrationem, cum diceret Sacerdos, eam auſpicaturus, εὐχαριστῶμεν τῷ Κυρίῳ, reſponderet autẽ populus, ἄξιον καὶ δίκαιον. Cuius etiam meminit Cyrillus in Catecheſi. Sequebatur altera εὐχαριστία, ſive gratiarũ actio, in novis Liturgiis, poſt ipſam conſecrationem, ſive ἐπίκλησιν conſecrationis, ante diſtributionem, qua dicere ſolebat Sacerdos; *pax omnibus, gratias agimus Deo omnipotenti*, & quæ ſequuntur in Liturgia Baſilii qua utuntur hodie Coptitẹ, ſive Aegyptii. Cui populus etiam reſpõdet ἀμήν. Sequebatur tertia & ul-

tima qua claudebatur actus Officii sive Liturgiæ. Nam ut est apud Pseudo-Dionysium Areopagitã, μεταχόντι δὲ μεταδοὺς τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας εἰς εὐχαριστίαν ἱερὰν καταλήγει. *Postquam Sacerdos communicavit ipse, & communicantibus impertiit communionem divinam, in gratiarum actione desinit.* Nunc videndum de qua gratiarum actione intellexerit Dionysius Alexandrinus qui eam Epistolam ad Xystum Romanum scripsit. De ultima hac non intellexit. Ergo de duarum priorum altera. Sed ætate Dionysii qui anno Christi CCXXXVI. Alexandrię sedem adeptus est, non duę gratiarum actiones, sed una tantum in Liturgia facienda locum habuit. Vigebat adhuc mos simplicior qualis ævo Iustini Martyris receptus erat, qualisque ex institutione Christi & usu primorum Christianorum traditus ipsis fuerat. Una & sola gratiarum actione, sive benedictione panis & vinũ à præside conventus consecrabatur, post quam gratiarum actionem populo dividebatur. Iustinus in Apologia ita ritum narrat benedicendi panis & cali-

cis

cis tunc usitatum. Post preces & osculum pacis, sive ἀσπασμὸν, offerebatur τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν, ei qui præerat fratribus, panis & poculum vini aqua mixti. Quibus ille acceptis, laudes Deo Patri dicebat, in nomine Filii & Spiritus sancti, & gratiarum actionem satis longam habebat, id est, εὐχαριστίαν, quod tali beneficio eos dignatus esset beare. Cui gratiarum actioni finitæ populus respondebat ἀμήν. Οὗ συντελέσαντος, inquit, τὰς εὐχὰς πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ, λέγων, ἀμήν. Quo facto Diaconi distribuebant singulis præsentium fideliũ ex illo pane benedicto, & ex illo vino partẽ cuiq; suam. Εὐχαριστήσαντος δὲ, inquit, τοῦ προεστῶτος καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσιν. *Postquã præsidẽs benedixit. sive gratias egit, & populus gratiarũ actionem faustis vocibus eam excepit, qui à nobis vocantur Diaconi dant singulis qui communicant de eo pane & de eo vino aqua mixto benedictis*. Addit, καὶ ἡ τροφὴ, inquit, αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν

εὐχαριστία· *Et hic cibus vocatur à nobis Eucharistia*, nempe quia esset εὐχαριστηθεὶς, id est benedictus per illã gratiarum actionem. Vocarunt etiam ἄρτον εὐχαριστίας, *panem benedictionis*, ut vertit Dionysius Exiguus in canonibus Græcis, qui & *benedictionem* Latine reddidit, quæ & Εὐχαριστία, nempe Sacramentum Eucharistiæ. Dionysii Alexandrini temporibus idem plane mos & ritus benedictionis sive gratiarũ actionis in consecrando pane & vino Sacramenti obtinuit, ut eius verbis quæ Eusebius eo loco retulit plane constat, εὐχαριστίαν, inquit, ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον. Omnia eadem sunt quæ in Iustino, ac eodem ordine. Hic qui communicat, gratiarum actionem, id est, εὐχαριστίαν quæ fiebat ab antistite ad benedicendum panem & vinum, audit; & cum reliquis præsentibus respondet ἀμήν. Cum pluribus quippe respondisse, ostendit verbum συνεπιφθέγξασθαι. Deinde adstans mẽsæ statim

post.

poſt gratiarum actionem peractam & reſponſionem à populo factam, manum ad ſuſcipiendum benedictum cibum porrigit, & cum accipit. Illa ἐπίκλησις ſollemnis, quam poſtea Græci adhibuerunt ad evocandum Spiritum ſanctum in panem & vinum, ſive δῶρα in menſa propoſita, quaque ſola rite fieri conſecrationem exiſtimarunt, ut ex pane corpus Chriſti fieret, & ex vino ſanguis, tunc locum non habuit in Euchariſtiæ Sacramentis conficiendis. Circa ſæculum quartum ea *imprecatio*, ut vocat Hieronymus, ſive ἐπίκλησις, introducta eſt, ut alibi oſtendetur. Retinuerũt eam δι' εὐχαριστίαν Liturgię omnes ſive gratiarũ actionem, ſed non ad benedicendum panẽ & vinum, quem uſum antea habuerat. Hoc genere benedictionis priſco ſive εὐχαριστίας uſi ſunt poſtea ad eum panem conſecrandum quem *benedictum* proprie nominarunt, Græci εὐλογίαν, cum antea non alio ritu ipſa Euchariſtia, ſive Sacramentum corporis Chriſti, ſolita eſſet ſanctificari. Non enim vetus Eccleſia credidit aliqua opus eſſe conſecratio-

ne qua panis existeret corpus Christi aut vinum sanguis eiusdem, sed fidem cuiusq; sufficere ad id efficiendum, & credendum verbis Christi, qui in eo Sacramento instituendo tam expresse ac diserte dixit, *Hoc est corpus meum*. Ideo non alios prisco tēpore ad Eucharistiæ participationem recipiebat Ecclesia, testante eodem Iustino, nisi quibus omnino persuasum esset vera esse quæ de illo Sacramento traderentur, nempe panem esse corpus Christi, vinum sanguinem. Καὶ ἡ τροφὴ, inquit, καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξὸν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν. *Eucharistia vocatur à nobis hoc alimentum, cuius participi esse non cuiquam licet nisi qui crediderit vera esse quæ à nobis docentur.* Ea vero sunt, quibus docemur, non esse hunc panem communem, nec hoc vinum cōmune, sed postquam εὐχαριστία sive gratiarū actio cū precibus super panē & vinū pronuntiata sit, ex forma institutionis, δι' εὐχὴν τοῦ λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν, corpus & sanguinē fieri. Quę verba Iustini cōsiderāda sunt. Nō enim aliter

aliter benedici panem & vinum vult in Euchariſtia quam quomodo Chriſtus fecit cum illud Sacramentum inſtituit & ſuos Apoſtolos eo participavit, δι' εὐχῆς λόγυ τῦ παρ' αὐτῦ. *Per preces orationis ab iſto inſtitutæ.* At Chriſtus non precatus eſt Spiritum ſanctum ut deſcenderet in panem illum quem tradebat ſuis diſcipulis, aut in calicem quem ipſis dabat bibendum. Cyrillus quoque unius tantum εὐχαριςίας mentionem facit in ea Liturgia quam expoſuit in quinta Catecheſi. Eadem autem ferme eſt cum illa quam tradit Iuſtinus. Ita enim apud eum Sacerdos dicebat, εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ. ὄντως γὰρ εὐχαριςεῖν ὀφείλομεν, ὅτι ἐχθροὺς ὄντας ἡμᾶς ἐκαλέσατο εἰς τηλικαύτην χάριν. *Gratias agamus Domino. Revera enim gratias ei agere tenemur quod nos indignos exiſtētes ad tantā gratiā vocare dignatus fuerit.* Apud Iuſtinum autem ſic legitur, καὶ τὴν εὐχαριστίαν ὑπὲρ τῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. Sed hæc differentia in utroque ſpectanda eſt, quod per εὐχαριστίαν ſive gratiarum actionem quæ habetur in Catecheſi Cyrilli

rilli, panis non benedicitur, nec vinũ, sed simplex est gratiarum actio sine effectu benedictionis. Postquam enim populus respondit ei eucharistiæ sive gratiarum actioni, sequebatur Hymnus quem χερουβικὸν vocant Græcorum Lyturgiæ. *Præparationem* Latini appellarunt. Hic hymnus est, ut ait Amalarius, refertus gratiarum actione & laudibus Angelorum. Alii *Præfationem Actionis* vocant, id est, consecrationis, ut Valafridus Strabo. Isidorus vocat *hymnationem*, quam in ordine Missæ quintam recenset, quæ præcedebat sextam, quam *confirmationem Sacramenti* appellat. Sic autem apud eum legendum: *Quinta infertur hymnatio in sanctificationẽ oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creaturam virtutumque cœlestium universitas provocatur.* Cyrillus ὑμνῳδίαν appellat, & αἰνολογίαν vel δοξολογίαν ἐκ τῶν Σεραφὶμ παραδοθεῖσαν. Pseudo-Dionysius Areopagita ὑμνολογίαν. Ea tunc tẽporis apud Græcos quoque præmittebatur invocationi vel orationi ad Deum qua conficiebantur Sacramenta corpo-
ris

tis & sanguinis Christi. Quæ ὑμνῳδία omnino cõsona est illis αἴνῳ & δόξῃ Iustini, quæ præcedebat εὐχαριστίαν sive gratiarum actionem. At apud Cyrillum ὑμνῳδία illa cum precibus subsequitur εὐχαριστίαν. Ita vero Iustinus, αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, καὶ τὴν εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ καταξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. Dede subiicitur, οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν πᾶς ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ ἀμήν. Vides preces & laudationes ad Deum præcedere Eucharistiam sive gratiarum actionem, & per gratiarum actionem, benedici & sanctificari panum & vinum in corpus & sanguinem Christi. Atque inde Sacramentum ipsum εὐχαριστίας nomen accepit qui & εὐχαριστηθεὶς ἄρτος ideo dicitur eidem Iustino, id est, *benedictus panis*. Eundem ordinem rei divinæ agendæ sicut erat usitata tunc, etiam alio loco in eadem Apologia, sic memorat: ἔπειτα ἀνιστάμενοι κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν, καὶ ὡς προέφημεν παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ,

καὶ ὁ

καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ, λέγων τὸ Ἀμήν. καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. *Deinde omnes consurgimus ac preces Deo allegamus, quæ postquam, sicut diximus, peractæ fuerint, panis offertur & vinum cum aqua ei qui præsidet cœtui. Is preces & gratiarum actiones similiter quantum potest Deo fundit, & populus acclamat, dicens Amen. Tum fit distributio & participatio unicuique præsentium ex iis quæ benedicta fuerunt, absentibus autem per Diaconos suæ partes mittuntur.* Cyrilli autem Hierosolymitani tempore hic ordo mutatus erat, & res ipsa quodammodo alia. Nam post *εὐχαριστίαν*, sive gratiarum actionem præmissam quæ nihil facit ad Sacramenta corporis & sanguinis Christi ex pane & vino conficienda, sequitur *ὑμνῳδία* illa quæ *αἶνος* & *δόξα* Iustino vocatur cum ipsis precibus per quas Sacerdos precabatur Deum ut mitteret Spiritum suum sanctum in proposita dona panis & vini, ut panem quidem faceret corpus Chri-

Chriſti, & vinum ſanguinem eius. Ita autem ille ſcribit, διὰ τοῦτο γὰρ παραδοθεῖσαν ἡμῖν ἐκ τῶν Σεραφὶμ αἰνολογίαν ταύτην λέγομεν ὅπως κοινωνοὶ τῆς ὑμνῳδίας τῆς ὑμνῳδίας ταῖς ὑπερκοσμίοις γενώμεθα στρατιαῖς ἵνα ἁγιάσαντες ἑαυτοὺς διὰ τῶν πνευματικῶν τούτων ὕμνων παρακαλῶμεν τὸν φιλάνθρωπον θεὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα χριστοῦ, τὸν δ' οἶνον αἷμα χριστοῦ. Hę preces cum hymnis iunctæ nihil habebant cõmune cum præcedente εὐχαριστίᾳ ſive gratiarum actione. Ex his apparet quãta mutatio ac deflexio intervenerit in hoc Sacramento & eius celebrandi Liturgia, à more ac ritu priſtino Ecclecleſiæ qui inſtitutioni Chriſti per omnia concinebat. In hoc enim novo ritu, perdidit vim ſui nominis Euchariſtia. Non enim à gratia agenda & benedictione amplius deduci poterat, cũ accepta non ferretur gratiarum illi actioni qua Chriſtus in eo Sacramento corporis ſui inſtituendo uſus fuerat, ſed novæ precatioui ad Deum factæ ut Spiritum ſuum mitteret ad Sacramentum illud cõficiendum, & efficiendum,

dum, ut panis fieret corpus Christi, & vinum sanguis. Illi enim precationi sive ἀνακλήσει vim consecrationis attribuerunt, cum ipsi εὐχαριστίᾳ antiqui eam assignarint prorsus iuxta institutionis Christi ordinem. De quo ait Paulus in priore ad Corinthios se quod à Christo acceperat illis tradidisse, quod ad formam nimirum attinet Sacramenti illius administrandi. καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε. *Et postquam benedidixisset, vel gratias egisset fregit.* Ergo in ipsa benedictione vel gratiarum actione tota vis Sacramenti conficiendi residet. Fractū vero cum traderet discipulis ac diceret, λάβετε, φάγετε, corpus suum esse addit, ut significaret sumentibus tantū corpus suum futurum esse panē illū quem illis dabat. Non igitur in illis verbis virtus sita est cōficiendi Sacramenti, nec vetus unquam id Ecclesia credidit. Antiquissima quippe in sola εὐχαριστίᾳ eam posuit, sive benedicendi actu, unde ei nomen. Posterior in precatione vel oratione qua Spiritus sancti descensam à Deo precabatur. In qua oratione nihil omnino

Eucha-

Euchariſtici reperitur, in omnibus Liturgiis Græcis & Aegyptiacis. Ita ergo uterq; ordo Liturgiæ Græcę diverſus; antiquus & novus. In priſco, qui ſimpliciſſimus & Apoſtolicus, prima fuit oratio communis ad Deum pro iis omnibus qui in cõventu adeſſent, ut digni efficerentur, quibus vera doctrina imbutis, per bona opera fides creſceret, & præceptorum divinorum obſervatio confirmaretur. Eas preces oſculo pacis claudebant quo ſeſe invicem excipiebant. Tũ porrectio panis & vini ei qui præeſſet conventui, atq; eius *εὐχαριστία* ſive benedictio, qua ex illis ſpeciebus ſacramẽtum corporis & Chriſti conficeretur. Poſtremo ſequebatur diſtributio ac diviſio panis fruſtillatim fracti in omnes qui aderant facta, ut & poculi datio. Hæc forma plane fuit Apoſtolica quæ ab ipſa Chriſti inſtitutione uſq; ad Dionyſii Alexandrini tẽpora manſit, ut ex eius verbis liquet ſupra citatis. Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum lib. I. cap. XXXII, poſt recitata Euãgeliſtæ verba quibus Chriſtus cœnam ſuam inſtituit, *Cum bene-*

dictione enim & gratiarum actione primum Dominus corporis & sanguinis sui Sacramenta dedicavit, & Apostolis tradidit, quod exinde Apostoli imitati facere, & successores suos facere docuerunt. Inde & *Benedictionem* eam Latini dixere eodem sensu quo ipsi Græci εὐχαριστίαν, ut ante diximus. In Concilio Barcinonensi *viatica Benedictio* dicitur; quod simpliciter *Viaticũ* ab aliis vocatur, aut *Viaticum Eucharistiæ. Iubemus*, inquiunt, cap. IX, *ut in infirmitate positi viaticam Benedictionem percipiatis.* Sic enim ibi legendum, non *beaticam*, quod nihil est. In ordine vero Missę posterioris Ecclesiæ εὐχαριστία, sive benedictio, nihil iã operabatur ad cõfectionem Sacramentorum panis & vini, sed post eam longo satis intervallo, aliquot interpositis ἐπεισοδίοις, oratio cui hanc vim tribuebãt inferebatur, quę ἐπίκλησις, ut dixi, vocabatur. In ordine Cyrilli statim post hymnum ea ἐπίκλησις sequitur, quæ in aliis Liturgiis non protinus subiicitur, sed post alias orationes. Valafridus Strabo, cap. XX. de ordine Missæ, *Quid nunc*, inquit, *agimus*, *mul-*

multiplici orationum, lectionum, cantilenarum & cõsecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus, & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Vnde circa domos secundum superius commemorata testimonia frangebant panem. Quod etiam alia sententia Lucas declarat, dicens: Vna autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem. Et relatio maiorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas sicut modo in parasceve Paschæ, in qua & apud Romanos Missæ non aguntur, communicationem facere solemus; id est præmissa oratione Dominica, &, sicut ipse Dominus præcepit, commemoratione passionis eius adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sanguini quos ratio permittebat. Notanda illa, & *consecrationibus*. Nulla ergo *consecratione* utebantur Apostoli, vel eorum successores proximi in administranda populis Eucharistia, qualis postea introducta est, sed sola commemoratione Dominicæ passionis, & orationibus cum gratiarum actione qua panis ac vinum benedice-

bantur in Sacramentũ corporis & sanguinis. Ab hac simplicitate nihil aut parum absuere tempora Iustini & Dionysii, ad medium sęculi usq; tertii. Preces fiebãt pro introitu Missę sive Synaxis, deinde cõmemoratio sequebatur passionis Dominicæ, & εὐχαριςία, sive benedictio, qua panis & calix in Sacramẽtũ corporis & sanguinis cõsecrabatur, deinde communicatio, & pro clausula gratiarũ iterũ actio. Prioris εὐχαριστίας qua benedicebatur panis & vinum ἐπακούειν ille dicitur apud Dionysium qui ἀμὴν cum aliis ad eam respondet, & statim mensæ adsistens manum protendit ad accipiendum panem benedictum. Ita apud Iustinũ statim post εὐχαριστίαν super panem & vinum dictam sequitur ἡ μετάδοσις τῶν εὐχαριστηθέντων. Hoc vero erat proprie *Missam audire*, cum fideles attendebant ad id quod dicebatur in consecrando pane & vino, ut omnes respondere possent ἀμὴν. Illa igitur benedictio, sive gratiarum actio, qua Sacramenta corporis & sanguinis conficiebantur, clara voce & ἐκφώνως pronuntiari solebat

à Pres-

à Presbytero vel Episcopo. Non enim respondere potuisset populus ἀμὴν. At illa ἐπίκλησις posterioris ævi qua rogabatur Spiritus sancti descensus ad consecrationē, μυστικῶς, id est, secreto ac tacite, dicebatur. Nec ἀμὴν respondere poterat ad eam populus, neq; vero respondebat. Ἐπακούει qui intelligit quod dicitur ac percipit, non is qui sonum duntaxat sine mente aures verberantem audit. Hinc & ὑπακούειν etiam Græci dicunt de ostiario qui ad januam stans respondet dominum quærentibus. Qui audit ut consentiat ei quod audit, is etiam proprie *audire* intelligitur. Unde & *dicto audientem* Latini appellant qui dictis paret. *Non audit* è contrario, qui non obtemperat. Ita οὐχ ὑπακούειν alicui petitioni iidem Græci solent dicere de eo qui recusat & negat se facturum esse quod petitur. Apud Athenæum οὐχ ὑπακούει δεῖπνον qui vocatus ad cœnam non audit, id est, negat. *Audire* igitur & ἐπακούειν vel ὑπακούειν, est consentire. Donatus ad Terentii Eunuchum, *Audio, id est, libenter admitto & consentio.* Ita igitur populus

 audie-

audiebat Missam apud veteres qui intelligebat quid diceretur, atq; , intellectis respondebat ἀμὴν, & consentiebat. Vt ἐπακούει εὐχαριστίας apud Dionysium, qui gratiarum actioni subiicit ἀμήν. Nunc nullus audit Missam ut dicitur, quia nullus intelligit, quia nec populus ut olim respondet, nec etiam communicat. Acoluthus aliquis vel puer hoc dicit, qui non magis scit quid respondeat, quam id cui respondet intelligit. Picarum aut psittacorum more loquitur, & vocem reddit incitatus. Cum hæc ita sint, certum tamen est, alio sensu dici apud posteriores *audire Missam* quam apud Dionysium ἐπακούειν εὐχαριστίας. Nam ibi, ut docuimus, εὐχαριστία non est Missa, sed gratiarum actio qua benedicitur, ut sanctificetur in Sacramentum corporis & sanguinis Dominici, panis & vinum. Et qui ibi ἐπακούει τῆς εὐχαριστίας, ad hoc audire dicitur, ut possit ἐπευφημεῖν, id est, secũda & fausta voce prosequi quod dictum est, respõdendo Ἀμὴν, id est, γένοιτο. At cum *Missa* accipitur pro officio rei diuinæ quo Sacramenta conficiuntur populo

pulo

pulo eiſdem communicaturo diſtribuēda, non poteſt dici proprie *Miſſam audire*, qui non ſolum audit quod in ea agitur, ſed etiam ea participat, & communionem accipit. In eo igitur loco Ambroſii qui citatur à Caſaubono, aut *auditio Miſſæ* differt à communicatione, aut *Miſſa* ibi intelligenda de ſola oratione, ut ſæpe accipi ſolet apud veteres. Nam & ad orationem communicandam conveniebant iis diebus quibus non communicabant Sacramentis, ut infra dicam. Non poteſt autem verum eſſe quod Petavius ex eo loco vult adſtruere, in Mediolanenſi Eccleſia quotidie ſacrificium offerri ſolitum, & tamen non quotidie fideles communicaſſe. Verba Ambroſii à Caſaubono citantur ex Sermone eius XXXIV. Petavius autē ex Caſaubono ea retulit, non in ipſo libro legit. Sic habent *Moneo etiam, ut qui iuxta Eccleſiam eſt, & ſine gravi impedimento poteſt, quotidie audiat Miſſam, & qui poteſt, omni nocte ad Matutinum veniat.* Et paulo poſt: *In Quadrageſima vero moneo, ut die omni, aut ſaltē, ut dixi, Dominica offeratis*

 & com-

& communicetis. Male certe ex his Casaubonus notavit, hic *Missam audire* non dici ad exclusioné communionis, ut hodiernus error postulat, sed de eo qui & Liturgiam audiat, & communionem sumat. Nam aperte in illis verbis *audire Missam* tanquam diversum ponitur ab eo quod est communicare. Nec alio intellectu unquam positum legitur illud *audire Missam*, nisi de eo qui *audit* tantum, non etiam communicat. Longe etiam magis nugatur Casauboni reprehensor Iesuita, qui putat, Ambrosium in illis verbis cũ eundem quotidie Missam audire, in Quadragesima vero si fieri potest etiam communicare iubeat, satis innuere, nequaquam quotidie cæteris saltem præter Quadragesimam diebus communicatum fuisse. Primum falsissimum illud est, quod colligit, velle Ambrosium, quotidie Missas audiri, & in Quadragesima si fieri possit etiam communicari. Vbi legit, diebus omnibus Quadragesimæ communionem datam fuisse fidelibus præterquam Dominicis? Ipse Ambrosius in Sermonibus de Quadragesima

ma totum illud tempus ieiunandum esse præcipit. In Sermone XXXIV. ex quo hæc verba citantur à Casaubono, quæ tamen ibi non comparent in Editione Basiliensi: *Omni sollicitudine tempus sacratissimum celebremus. Non prætereat nos dies absque ieiunio. Non nos transeat una hebdomada absque vigiliis.* Et sub finem eiusdem sermonis, *Quadragesimæ quotidiana & moderata vocat ieiunia.* Ieiunii autem diebus, & præcipue Quadragesimalis, non sacrificium fiebat, nec quisquam cõmunicabat. Illis inquam diebus, ut ex eodem Ambrosio constat Sermone XXXIII, ieiunantes primo diluculo ad Ecclesiam procedebant, & orationi vacabant. Non enim prandebant, sed vespere cœnabant. Quia vespertina cœna ieiunium solvebant ac finiebant. In Græcia quoque, exceptis Cypriis, tempore Quadragesimæ non celebrabatur Eucharistia, nec ei communicabatur nisi die Dominica & Sabbato, ut sancitur canone Laodiceno, ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Stultum igitur est, saltem in-

ſcitum, hanc attribuere ſententiam Ambroſio, ut voluerit eundem quotidie Miſſas audire, in Quadrageſima vero, ſi fieri poſſit, etiam communicare, atque inde colligere, nequaquam quotidie, cæteris ſaltem præter Quadrageſimam diebus communicatum fuiſſe, ut Petavius, magnus ille ſcilicet antiquitatis Eccleſiæ vindex, autumat. Quaſi omnibus diebus Quadrageſimæ fideles obtulerint & communicarint. Quo nihil eſt falſius. Præterea Ambroſium ab Ambroſio diſſidentem ſic introduceret, volentem hic quidem quotidie Miſſam audiri, non tamen cõmunicari niſi Quadrageſimæ diebus, cum idem in libro v. de Sacramentis, ſi modo libri illi eius ſunt, cap. IV, ubi explicat orationem Dominicam, quotidie præcipiat communionem accipi debere. *Accipe*, inquit, *quotidie, quod quotidie tibi proſit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illum ſumimus, quemadmodum Græci in Orienti facere conſuerunt? Sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Quomodo Iob*

Iob ſanctus quotidie pro filiis ſuis quotidie ſacrificium offerebat, ne forte aliquid vel in corde vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quod quotieſcunque offertur ſacrificium, timor Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini ſignificetur & remiſſio peccatorum, & panem illius vitæ non quotidie aſſumis. Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt quo ſub peccato ſumus. Medicina eſt cœleſte & venerabile Sacramentum. Panem quotidianum da nobis hodie. Si quotidie accipis, quotidie tibi hodie. Satin ex iſtis liquet, poſtulare Ambroſium ut quotidie communicetur? At Petavius vult, ex eius ſentētia, Miſſam tantū quotidie audiri, ſine cōmunicatione. Idem Ambroſius in Sermonibus de Quadrageſima, *quoniam eam non poſſumus complecti ſolido & uno ieiunio, quotidianis ſine intermiſſione ieiuniis* vult *celebrari*, ut eſt in ſermone XXXIII apud eundem. Quibus ieiunii diebus certum eſt nec ſacrificium oblatum fuiſſe in Eccleſiiis Occidentalibus, nec communionem ſumptam. Petavius vero dicit, eum velle, omnibus diebus Quadrageſi-

dragesimæ fideles communicare, cæteris Missas tantum audire sine communicatione. Quid tam contrarium fieri potest quam Ambrosius ipse sibi esset, si vera essent quæ illi affingit Iesuita? Verba sane illa quæ Casaubonus ex Ambrosio citat, Sermone XXXII. non habentur in Editione Basiliensi quæ ad manum est. Haud scio an extet in Parisiensi qua nunc careo. Puto omnino inde ea habere Casaubonū. In Coloniensi ea verba reperio. Illa porro Parisiensis multis modis mihi suspecta est, utpote à Iesuitis procurata quam scio ab illis pluribus in locis depravatam esse, ut ex collatione scriptorum exemplarium animadvertere licuit. Cur non putē illa esse Ambrosii germana, hæ causæ sunt. Primum ætate Ambrosii nondum is mos in Ecclesiam receptus fuerat, ut aliquis audiret Missam sive communionem. Sed nec illa loquutio tunc usitata fuit *Missam audire*, nisi *Missæ* vox accipiatur pro orationis Missa, sive Liturgia εὐχῶν. *Missam tenere, celebrare*, dicebant, non *audire*. Deinde verba illa non possum

con-

concoquere, *In Quadragesima vero moneo, ut die omni, aut saltem, ut dixi, Dominica, offeratis & communicetis.* Non possunt hæc esse antiqui auctoris, cum vetus Ecclesia nusquam morē habuerit offerendi & communicandi ieiunii Quadragesimalis diebus. Præterea ostendit, eodem die & Matutinum officium celebratum fuisse & Missam, id est, Synaxin ad Sacramentorum perceptionem. Dicit enim, *Moneo etiam, ut qui iuxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, & qui potest omni mane ad Matutinum veniat.* Atqui quo die Missa sic proprie dicta celebrabatur, nullum officium mane solebat celebrari. Per illos quippe dies illud officium precum matutino & vespertino tempore fiebat, quo Missa non fiebat. Scribit Epiphanius in expositione fidei, ἑωθινοὺς ὕμνους & προσευχάς, item λυχνικοὺς ψαλμοὺς & προσευχὰς quotidie in Ecclesia fieri: sed de his tantum diebus id intelligendum quibus Synaxes sive Missæ non solebant celebrari. Nam in eius Ecclesia die tantum Dominica &

quar-

communicent, omnes Christiani die Dominica debent offerre & communicare. Verba primum illa *quibus sacerdos consilium dat ut non communicent*, nihil minus redolent quam eorum temporum consuetudinem, sed plane conficta sunt ad hodiernum morem. Hæc de Quadragesima, ut dixi, videtur pręscribere, quia præcessit proxime, ut nemo ante octavum Paschæ uxori suæ iungatur. Sed quæ subiũgit, rursum innuunt, non verba eũ facere de Quadragesima. Sic enim infert quasi distinguat: *In Quadragesima vero moneo, ut die omni, aut (altem, ut dixi, omni Dominica, offeratis & communicetis.* At rursus cum addit, *ut dixi*, satis eo significat, se omnia quæ præcesserunt de Quadragesima dixisse. Inde etiam, ut hæc eius verba sonant, liquet, omni die in Quadragesima homines obtulisse & cõmunicasse, cum velit, omni die offerri & communicari, saltẽ Dominica. Ergo & illa quibus pręscribit, ut qui prope Ecclesiã est quotidie audiat Missam, de cõmunicatione etiam Sacramentorum videtur intellexisse. Et fortassean scripserat, *adeat*

Missam:

Missam. Ubi Missa esset pro cōvētu vel Synaxi; quia eo tēpore nō adibatur nisi à cōmunicaturis. Quæ sequuntur statim, non sunt melioris notæ. *Qui vero*, inquit, *longe ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant ad Matutinum venire, id est, viri ac fœminæ, iuvenes & senes, præter infirmos. Vnus tantum aut duo remaneant qui domum custodiant.* Voluit supra, ut qui prope Ecclesiam esset, omni nocte si posset ad Matutinum officium veniret, & Missam audiret, nunc longe positos saltem die Dominica iubet ad Matutinum venire. Quod istud erat Diei Dominicæ Matutinum? An non Missa? Ita prorsum. Nam matutino tempore etiam in Quadragesima diebus Dominicis ea solebat celebrari ἀφ᾽ ἕωθεν, ut loquitur Epiphanius. *Antelucanos cœtus* diei Dominicæ vocat Tertullianus. At aliorum dierū Matutinum officium, cum Missa non celebraretur, id est, Synaxis, in precibus tantum & Psalmis vel Hymnis positum erat. Atqui etiam iis diebus Missam audiri vult, & ad Matutinum veniri. Quando igi-

drageſimæ fideles communicare, cæteris Miſſas tantum audire ſine communicatione.. Quid tam contrarium fieri poteſt quam Ambroſius ipſe ſibi eſſet, ſi vera eſſent quæ illi affingit Ieſuita? Verba ſane illa quæ Caſaubonus ex Ambroſio citat, Sermone XXXII. non habentur in Editione Baſilienſi quæ ad manum eſt. Haud ſcio an extet in Pariſienſi qua nunc careo. Puto omnino inde ea habere Caſaubonū. In Colonienſi ea verba reperio. Illa porro Pariſienſis multis modis mihi ſuſpecta eſt, utpote à Ieſuitis procurata quam ſcio ab illis pluribus in locis depravatam eſſe, ut ex collatione ſcriptorum exemplarium animadvertere licuit. Cur non putē illa eſſe Ambroſii germana, hæ cauſæ ſunt. Primum ætate Ambroſii nondum is mos in Eccleſiam receptus fuerat, ut aliquis audiret Miſſam ſive communionem. Sed nec illa loquutio tunc uſitata fuit *Miſſam audire*, niſi *Miſſæ* vox accipiatur pro orationis Miſſa, ſive Liturgia εὐχῶν. *Miſſam tenere, celebrare*, dicebant, non *audire*. Deinde verba illa non poſſum con-

concoquere, *In Quadragesima vero moneo, ut die omni, aut saltem, ut dixi, Dominica, offeratis & communicetis.* Non possunt hæc esse antiqui auctoris, cum vetus Ecclesia nusquam morē habuerit offerendi & communicandi ieiunii Quadragesimalis diebus. Præterea ostendit, eodem die & Matutinum officium celebratum fuisse & Missam, id est, Synaxin ad Sacramentorum perceptionem. Dicit enim, *Moneo etiam, ut qui iuxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, & qui potest omni mane ad Matutinum veniat.* Atqui quo die Missa sic proprie dicta celebrabatur, nullum officium mane solebat celebrari. Per illos quippe dies illud officium precum matutino & vespertino tempore fiebat, quo Missa non fiebat. Scribit Epiphanius in expositione fidei, ἑωθινοὺς ὕμνους & προσευχὰς, item λυχνικοὺς ψαλμοὺς & προσευχὰς quotidie in Ecclesia fieri: sed de his tantum diebus id intelligendum quibus Synaxes sive Missæ non solebant celebrari. Nam in eius Ecclesia die tantum Dominica &
quar-

quarta sextaque feria Synaxes fieri solitas idem tradit. Postremo non potest esse verum quod in eo Sermone dicitur, in omni illo Quadragesimali ieiunio non ante nonam esse manducandum. *Ut nullus vestrum*, inquit, *nisi forte sit infirmus aut infans usque ad Pascha, & nisi in Dominicis diebus ante nonam manducet aut bibat.* Quod & paulo ante præscribit: *Qualis Christianus est qui tali tempore non ieiunat vel usque ad nonam?* Atqui ieiunium quadragesimale, ut ex vero Ambrosio liquet in variis de Quadragesima Sermonibus, non ante vesperam solvebatur. Nona Stationibus quartę & sextę feriæ ad earum finiendum ieiunium præstituta erat. Idem Ambrosius Sermone XXXII. Editionis Basiliensis Matutinum officium diebus omnibus Quadragesimæ obeundum esse monet à ieiunantibus; nec ullius Missæ quæ in Quadragesima nulla celebrabatur nisi die Dominica, mentionē facit. *An putatis illū ieiunare fratres qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat?* Et Sermone XXXIV. *Ille enim facit Quadragesimam, qui ieiunādo & vi-*

& vigilando ascendit ad Pascha. Quomodo igitur eo die quo quis Matutinum frequentabat, Missam etiam audire poterat cum hæc duo officia simul eodem die non fierent? De Quadragesima autem ea præcipere auctorem illum, palã est cum dicit, *Moneo autem, ut qui iuxta Ecclesiam est quotidie audiat Missam, & si potest, omni nocte ad Matutinum officium veniat.* Nam quæ præcedũt de solo Quadragesimę tempore hæc illum dicere, aperte ostendunt. Præterea sermo est habitus feria sexta post Quadragesimæ primam Dominicam. Impostor ille qui hæc interpolavit aut confinxit, morem Ecclesiarum tunc temporis plane ignoravit. Ecce enim ut & Matutinum & Missam omni die Quadragesimali solita celebrari significavit, paulo post ita confuse loquitur, ut nescias quid velit. Ita enim scribit: *Nullus omnino uxori suæ iungatur ante octavum Paschæ. Quicumque iram & odium contra alterum tenet,* (vide barbariem) *dimittat illi ex toto corde, si salvari desiderat, & exceptis illis quibus Sacerdos consilium dat ut non commu-*

communicent, omnes Christiani die Dominica debent offerre & communicare. Verba primum illa *quibus sacerdos consilium dat ut non communicent*, nihil minus redolent quam eorum temporum consuetudinem, sed plane conficta sunt ad hodiernum morem. Hæc de Quadragesima, ut dixi, videtur præscribere, quia præcessit proxime, ut nemo ante octavum Paschæ uxori suæ iungatur. Sed quæ subiūgit, rursum innuunt, non verba eū facere de Quadragesima. Sic enim infert quasi distinguat: *In Quadragesima vero moneo, ut die omni, aut (saltem, ut dixi, omni Dominica, offeratis & communicetis.* At rursus cum addit, *ut dixi*, satis eo significat, se omnia quæ præcesserunt de Quadragesima dixisse. Inde etiam, ut hæc eius verba sonant, liquet, omni die in Quadragesima homines obtulisse & cōmunicasse, cum velit, omni die offerri & communicari, saltē Dominica. Ergo & illa quibus præscribit, ut qui prope Ecclesiā est quotidie audiat Missam, de cōmunicatione etiam Sacramentorum videtur intellexisse. Et fortassean scripserat, *adeat Missam:*

Missam. Ubi Missa esset pro cõvẽtu vel Synaxi; quia eo tẽpore nõ adibatur nisi à cõmunicaturis. Quæ sequuntur statim, non sunt melioris notæ. *Qui vero*, inquit, *longe ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant ad Matutinum venire, id est, viri ac fœminæ, iuvenes & senes, præter infirmos. Vnus tantum aut duo remaneant qui domum custodiant.* Voluit supra, ut qui prope Ecclesiam esset, omni nocte si posset ad Matutinum officium veniret, & Missam audiret, nunc longe positos saltem die Dominica iubet ad Matutinum venire. Quod istud erat Diei Dominicæ Matutinum? An non Missa? Ita prorsum. Nam matutino tempore etiam in Quadragesima diebus Dominicis ea solebat celebrari ἀφ᾽ ἕωθεν, ut loquitur Epiphanius. *Antelucanos cœtus* diei Dominicæ vocat Tertullianus. At aliorum dierũ Matutinum officium, cum Missa non celebraretur, id est, Synaxis, in precibus tantum & Psalmis vel Hymnis positum erat. Atqui etiam iis diebus Missam audiri vult, & ad Matutinum veniri. Quando igi-

tur tum Miſſa celebrabatur? An ad veſperam, ut de ſua Eccleſia tradit Epiphanius? Atqui ad nonam præcipit finiri ieiunium Quadrageſimale. Ergo tum Miſſa debuit fieri. Non enim ante celebrandæ eius tum mos fuit, niſi cum ieiunium ſolvendum eſſet. Atqui hoc falſiſſimũ eſt, diebus Quadrageſimalibus Synaxes vel Miſſas ad nonam celebratas. Hic tamen plane docet, omni die Quadrigeſimali etiã Miſſam celebrari ſolitam, & quotidie, ſi fieri poſſit, etiã in Quadrageſima, monet, ut Chriſtiani offerant & communicent. Quæ omnia quam ſibi cõſteut, & cohęreant, æquus lector iudicet. Ego vero ſpuria eſſe & commentitia arbitror, & à temporibus Ambroſii ac moribus quibus tum utebantur Eccleſiæ alieniſſima. Quotidie in Eccleſiis ferme omnibus Occidẽtalibus cõmunicabatur, ſed in Quadrageſima ſola die Dominica, ut ex vero Ambroſio & aliis poteſt certo liquere. Aliorum dierum Synaxibus intereſſe ex officio nemo tenebatur. De ſolis Dominicarum dierum conventibus exigebatur ut omnes

omnino

omnino fideles ad eos procederent, offerrentq; in iis & communicarent. Dominicæ diei Missæ ex eo dicebãtur *publicæ*, quia omnes iis adesse deberẽt fideles, nisi sontica causa, ut morbus aut alia, prohiberet. Sic *publicũ certtamen* dicebatur, quod cũ omnibus copiis totoq; exercitu cõmitti solebat. Ita *publica Missa* erat Dominica, quia ab omnibus fidelibus frequẽtabatur. In Concilio Carthaginẽsi secundo can. III. vetãtur Presbyteri *reconciliare quemquam in publica Missa*, id est, ea quæ die Dominica celebrabatur. Non publica erat reliquorum dierum septimanæ, quia pars tantum fidelium eam obibat, excusatis; ut videmus apud Ambrosium, qui aut longius habitarent ab Ecclesia, aut negotiis distẽti essent, ut opifices, aliiq; vitam πρακτικὴν & exercitam ex officio ac munere aliquo colentes. At *privatarũ Missarũ* quę publicis opponũtur, eo sẽsu quo hodie fiunt ac vocantur, nullum in antiquitate vestigium aut memoria. In plerisq; olim, ut dixi, & Occidentalibus præcipue Ecclesiis, quotidie communicabatur;

non tamen ab omnibus. Sed illi qui cõmunicare nolebant, non accedebant ad Ecclesiam. Diebus Dominicis omnes communicabant qui Pœnitentes non essent aut Catechumeni, id est, quicunque ius communionis habebant. Nulla vero unquam absq; communione populi ac communicantibus Missa fiebat nec audiebatur. Augustinus lib. II. de sermone Domini in monte, ubi Orationẽ Dominicã exponit, ad illa, Da nobis hodie panem nostrum quotidianum; *Aut pro Sacramento*, inquit, *corporis Christi quod quotidie sumimus, aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit, operemini escam quæ non corrumpitur.* In Ecclesia ergo Africana vel Hipponensi quotidie fideles communicabant, & quotidie Missæ agebantur. In sequentibus scribit idem, interpretationem illam, quæ panem quotidianum pro Sacramento corporis Christi accepit, non posse locum habere in Orientalibus partibus ubi quotidie non communicabant cœnæ Dominicæ; non enim quotidianũ hunc illis esse panẽ. Sine crimine quippe non posse

posse illos hanc expositionem admittere, quæ eos convinceret quasi non obtemperantes Dominico præcepto quotidianam communionem iniungenti. *De Sacramento*, inquit, *corporis Domini, ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cænæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit. Vt ergo illi taceant, neque de hac re suam sententiam defendant, vel ipsa Ecclesiastica auctoritate sint contenti, quod sine scandalo ista faciant, neque ab iis qui Ecclesiis præsunt facere probibentur, neque non obtemperantes damnantur. Vnde probatur, nõ hunc in illis partibus esse quotidianum panem.* Ex his patet Augustini verbis, in Ecclesia Africana omni die solitũ cõmunicari, & ut ita fieret, impensę etiam eidem probari. Qui non facerent, sola defendi auctoritate Ecclesiastica. quæ talem consuetudinem apud eos non receperit. Cæterum eos non posse quotidianum panem in oratione Dominica sine piaculo exponere de Sacramento, quia quotidie illi pani non communicent. Ex his Augustini
 dictis

dictis etiam liquet, omnesq; qui panem quotidianum in Oratione Dominica pro Sacramento corporis Christi interpretarentur, sententiam eo ipso suam ostendere, quod esset quotidie corpori Christi communicandum, & quod talem haberent consuetudinem in Ecclesia sua. Ego tamen magnopere miror, Augustinum Latinæ versionis, verbis inductum, quæ *quotidianum panem* reddidit qui in Græco est ἐπιούσιος, ita arbitrari, quod Græci & Orientales qui non quotidie communicant, non queant panem ἐπιούσιον de pane Christi interpretari. Quasi scilicet ἐπιούσιος idem omnino sit Græce, quod Latine *quotidianus*. Atqui pleriq; Græcorũ & Orientaliũ longe aliter eã vocẽ exponunt, quamvis etiam de pane Sacramẽti intelligant. Ut Cyrillus, qui ἐπιούσιον explicat, quod ἐπὶ οὐσίαν τῆς ψυχῆς τρέπεται, *in substantiam animæ vertatur*. Nec tamen Hierosolymitani Christiani quotidie communicandi morem habuerunt. In Authentico Matthæi Hebraica ea vox fuit pro ἐπιούσιος, teste Hieronymo, quæ *venturum panem* signi-

ſignificaret, & pro Chriſto ille etiam accipit, ac *ſuperſtantialem panem* interpretatur, ut alii plerique veterum. Ne omnes quidem ex Latinis, qui *quotidianum panem* de Sacramentali acceperunt, morem noverant quotidianæ cõmunionis. *Petendo,* inquit, *panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatẽ à corpore eius.* Dixerat paulo ante idem Afer ita ſpiritualiter potius intelligi debere, quia Chriſtus panis noſter eſt, & panis eſt ſermo Dei vivi qui de cœlo deſcendit. *Tum, quod & corpus,* inquit, *eius in pane cenſetur.* Nihil de cõmunione quotidiana ibi Tertullianus. Et certũ, non fuiſſe tũc in uſu ac more Eccleſiis. Auguſtinus nõ putabat, quotidiani panis expoſitionem de Sacramento quod quotidie accipitur ab aliis admitti debere quam qui quotidie communicarent. Ecce vero qui ſic exponerent, & ex eo contenderent, illo tantum tẽpore eſſe recitandam quo ſacrificia celebrabãtur. *Qui panem illum*, inquit Strabo, libro de Rebus Eccleſiaſticis, cap. xx, *qui in eadem oratione petitur, ſuperſubſtan-*

tialem intelligi, non quotidianum, voluerunt. Nihil tamen vetat quotidianum ita accipi, & quotidie eam orationem recitari. Nam ut censet Tertullianus, & post eum Cyprianus, ea oratione panem nostrum, id est, Christum, quotidie dari nobi petimus, ut qui in *Christo manemus & vivimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus.* Hoc est quod dixit magister eius, *perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem à corpore carnis.* Hilarius similiter dixit, *quia quotidiana oratio est, quotidie quoque panis vitæ ut detur, oratur.* Cyprianus tamen sua ætate hunc quoque morem fuisse apud Carthaginenses declarat his verbis, quibus explicat *panem* quotidianum in libro de oratione Dominica: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedēte aliquo graviore delicto, dum abstensi, & non communicātes cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. Ipso prædicante & monente, Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi.* Clarum ex istis, eo tempore

solos

ſolos abſtentos ob aliquod gravius peccatum & excommunicatos ab Eccleſia, non cõmunicaſſe quotidie, cum reliqui fideles qui pœnitentiam non agebant, omni die communionem participarent. Ambroſius quoque in Eccleſia ſua hunc morem quotidie communicandi fuiſſe aperte ſignificat; cum quotidie audiri Miſſas ab illis velit qui iuxta Eccleſiam erant, & ſine gravi impedimento id poterant. Baſilius in Epiſtola ad Cæſarium probat etiam conſuetudinem quotidie communicandi, ſed in ſua Eccleſia cõmunicationem haberi tantũ ait ſolitã quatuor diebus ſeptimanæ. Nũc velim mihi diceret Petavius, an in illis occidentis Eccleſiis quibus in quotidie cõmunicatum à fidelibus conſtat, ullas putaverit Miſſas celebrari ſolitas ſine communicantibus? Idem ex Concilio Agathenſi manifeſto colligi poſſe putat, aliquas fuiſſe olim Miſſas quæ carerent communicantibus. Contrarium ex eodem Concilio probare voluerat Caſaubonus. Concilii huius Patres canon. XIV. ita præcipiunt. *Miſſus die*

Dominica sæcularibus tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis regredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. Quid hinc colligit? An Missas tunc agi solitas nullos habuisse communicantes ex fidelibus? Stipite stupidior sit oportet si ita ratiocinetur. Hoc tantũ indicat canon quosdam ex sęcularibus recessisse ab Ecclesia ante benedictionem. Non omnes tamen ita solitos recedere, inde colligitur, sed nonnullos, quos propterea censet castigandos. Atqui, infert idem Petavius, canone XVIII. eiusdẽ Concilii ita statuitur, *Sæculares qui in natali Domini, Pascha, Pentecosta, non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* An hinc colligit, neminem præterquam his diebus communicare tum consuevisse? *Hic,* inquit, *tribus duntaxat diebus quotannis fidelem ad communionem compellit; illic dominicis diebus debet audire Missam. Non est igitur idem audire Missam & cõmunicare.* Ut supra à nobis demonstratum, non alius vere Missam audire

tum

tum censebatur, quam qui in ea communicabat. Fateor tamen, eo tempore, circa finem nempe quinti sæculi quo habitum est Concilium Agathense, frigescente pietate, & inclinata Ecclesiæ disciplina, solutioribusque hominum moribus, non omnes vulgo quoties Missa celebraretur communionem sacramentorum accepisse, sed multos exstitisse qui sponte sua abstinerent, nec tam frequenter sibi esse communicandum crederent. Illi sunt quos Concilium illud compelli vult ad communionem sumendam tribus saltem in anno diebus sollemnibus. Sed non ex eo sequitur, cæteris anni diebus neminem fuisse qui communicaret. Quod & plane falsum. Plerique illorum qui raro tunc communicabant, consueverant nihilominus interesse Missarū celebrationibus, sed antequam communio daretur discedebant, ne inter communicantes ipsi tanquam excommunicati cernerentur. An vero ne sacrificiis quidem orationum intererant, ut loquitur Tertullianus, neque illis orationibus quæ ad Sacramento-

rum

rum confectionem præparabant? Si ne his quidem interveniebant, cum Catechumenis exisse eos oportuit, aut cum pœnitētibus quarti gradus. Nam in Agathensi Concilio mentio fit eius disciplinæ quę Catechumenorum Missam separabat à fidelium Missa. Pœnitentium etiam meminit can. LXI. *quos inter Catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere & orare* præcipit. In Ecclesiis autem illius temporis finita Catechumenorum Missa, cum iam inchoanda esset fidelium, clamabat Diaconus, *si quis est Catechumenus, exeat*, vel *procedat*, ut in aliis legitur, ut Græci. προελθέτω. An igitur cum ita clamaret Diaconus simul exibant illi fidelium qui communicare illo die nolebant? Non sane putarim, nisi hac nota affici vellent, ut pro Catechumenis aut Pœnitentibus quarti gradus saltem designarētur, & sic alicuius gravioris delicti suspicione laborarent. Ergo verisimile est, exire solitos post consecrationem, ante communionem. Sic enim poterāt nec pro Catechumenis nec pro Pœnitētibus notari. Quod autem

autem canone XLVII. eiusdem Concilii Agathensis præcipitur, *ut sæculares ita teneant Missas, ne digredi populus præsumat ante benedictionem Sacerdotis*, non ex eo colligitur, quod vult Petavius, non communicasse tunc populum in illis Missis corpori & sanguini Dominico. Sed quia multi qui cõmunicaverãt, nõ expectata benedictione Sacerdotis, id est, ultima oratione, quæ clausula erat divinæ actionis exibãt. Hoc ipsũ prohibet ea de causa. Ea benedictio, ut ante dicebam, εὐχαριςία vocatur Pseudo-Dionysio Areopagitæ, cum dicit, κοινωνίαν θεαρχικὴν εἰς ἱερὰν εὐχαριστίαν καταλήγειν. Valafridus Strabo, de Rebus Ecclesiasticis cap. XXII. *Statutũ est autem Concilio Agathensi, ut populus ante benedictonem sacerdotis non egrediatur de Missa. quæ benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis oratio.* Cuius ultimæ orationis, ut idem ibidem scribit, *petitio maxime pro iis erat qui communicaverant.* Cæsarii Arelatensis Episcopi ętate, qui circa septimi sæculi finem vixit, multi fidelium qui communicare nolebant, quamvis nec excõm-

communicati nec ſuſpenſi eſſent, ab Eccleſia recedebant poſt lectionem Epiſtolæ Apoſtolicæ & Euangelii, id eſt, ante ipſam Miſſam Catechumenorum, & ante munerum oblationem. Sic neque pro Catechumenis, neq; pro Pœnitentibus denotari potuere. Ipſe Cæſarius hoc valde improbat, Homilia XII, & vult eos manere in Eccleſia, id eſt, ut loquitur, *Eccleſiam tenere, uſque quo oratio Dominica dicatur & benedictio populi detur*. Ergo ipſi actioni conſecrationis eos intereſſe præcipit, atque etiam dum communio dividitur adeſſe, quamvis non communicarent. Euangelia autem recitabantur in ordine lectionum poſt Epiſtolam Apoſtoli ante munerum oblationem & ante Miſſam Catechumenorũ, ut alibi docebitur. Unde & Epiſtola quæ prima omnium legebatur ante Miſſam tam Catechumenorum quam fidelium, dicebatur *Supermiſſa*, ut notat Albinus; qui cauſam nominis non bene poſuit. *Si diligenter*, inquit Cæſarius, *attendetis, cognoſcetis, quod non tunc fiunt Miſſæ quando divinæ lectiones recitãtur,*

ſed

sed quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Circa illa igitur tempora videtur introductum, ut etiam ii qui non communicarent, consecrationi Sacramẽtorum intervenirent & manerent una cum cõmunicantibus, usque ad benedictionem & orationem ultimam qua dimittebantur fideles cum hoc verbo, *Ite, Missa est.* Hinc sæculo Valafridi Strabonis quod erat noni initium, consuetudine hac iam firmata, incommunicantes una cum communicantibus usque ad finem in Ecclesia perstabant, & mysteriorum celebrationi intererant. Canones præcipiebant, eum ad pacem non accedere qui non communicaret. Quod quidam, inquit Strabo, ita interpretabantur, non debere pacem accipere quemquam in aliis Missis nisi in quibus communicaret. Alii vero volebant, illum tantũ à pace prohiberi, qui iudicio sacerdotali à cõmunione suspẽsus erat. Et sane in antiquis canonibus, *à pace arceri*, & *à communione*, idem est. Canon LXI. Concilii Eliberini; *Quinquennio à communione placuit absti-*

abstineri, nisi forte dari pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis. Alibi *communionem pacis* appellat, ut canone XLVII. *Placuit ulterius non ludere eum de communione pacis*. Sed ea pax, quam per oscula mutua qui erant una communicaturi consignabant, alio tempore in primitiva Ecclesia dabatur accipiebaturq;, alio posterior eam frequẽtavit. Ex instituto Innocentii Ecclesia Romana, & ex ea Occidẽtales, pacem ante cõmunionẽ dari post Orationem Dominicã quæ post confectionem Sacramentorum dicebatur, insueverunt. Hęc eius verba sunt in Epistola ad Decentium, quibus vetet pacem dari ante Sacramentorum benedictionem. *Pacem ergo asseris*, inquit, *ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi invicem Sacerdotes tradere, cum post omnia quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet, populum ad omnia quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbere consensum*. Illi quidã quos ait, fuere omnes Orientales & Græci, & multi ex Occidentalibus. Nec alias fuit mos totius

totius primitivæ Ecclesiæ. Quem quare mutatum voluerit Innocentius nescio, nisi quia semper puduit Episcopos Romanos communi ire via, & Episcopos fateri. Hinc libido iis multa novandi in religione. Ratio quam reddit frivola est, ideo pacem dari debere post confecta mysteria, ut populũ ad omnia quæ agerentur præberet consensum. Longe maioris fuit rationis, ut qui una cõmunicaturi adessent corpori & sanguini Christi, ante omnia testarentur osculo pacis mutuo consensum coniunctionemque animorum quam inter se omnes haberent: Sive ut scribit Isiodorus lib. I. de officiis Ecclesiæ cap. XV. *ut charitate omnes reconciliati invicem digni Sacramentis corporis & sanguinis Christi consocientur, quia non recipit dissensionem cuiusquam Christi indivisibile corpus.* In Ecclesiis autem Hispanicis eius ętate in ordine quo Missę agebantur oratio pro osculo pacis quartum locum obtinebat, ante hymnum qui præmittebatur consecrationi; quam ille vocat *confirmationem Sacramentorum*, quæ sexto loco fiebat in ordine

Missæ tunc temporis. Liturgiæ autem ordo antiquus in Ecclesiis Græcis hic fuit sicut traditur Concilii Laodiceni sanctione xx. Alloquutio Episcoporum ad populum, Oratio Catechumenorũ, Oratio Pœnitentiũ, tres Orationes fideliũ, osculũ pacis, sãcta oblatio Sacramentorũ. Α᾽πόλυσις deinde sive missio, id est, dimissio; ex qua *Missæ* Latinis nomẽ. Nec alius ordo servatus est in Ecclesia ducentis retro annis Iustini Martyris ętate. Alloquutionẽ Episcopi pręcedebat lectio divinæ Scripturæ ex Apostolis & Euangelio. Cuius non meminit canon Laodicenus, An quia res nota tunc erat? Isidorus tamen ordinẽ Missæ sicut agebatur suo tẽpore auspicatur ab Episcopi admonitione ad populũ. Sed lectionẽ videtur omnino ab orationibus & laudibus separasse, quę solæ ordinẽ Missæ conficiebant. Hoc ergo ordine Liturgia celebrabatur Iustini tempore, ut docet in Apologia pro Christianis secunda. Conveniebant in unum die Dominica. Apostolica & Prophetica primum scripta recitabantur. Vbi desierat Lector, is qui præ-

prę ſidebat cœtui, alloquutionẽ habebat admonendo & exhortando vel docẽdo populo. Poſt eam admonitionem & concionem conſurgebant omnes, & orabant. Precibus finitis ſequebatur ἀσπασμὸς & oſculum. Tum offerebatur panis & vinum præſidenti conventus. Ille preces & gratiarum actionem ſuper utrumq; habebat. Populus benedictioni vel gratiarum actioni adclamabat. Quo facto dividebatur inter omnes panis, & poculum. Hic ordo integer fuit Liturgiæ, cui fideles omnes interveniebant uſq; ad finem à principio. Priori eius parti intereſſe Pœnitentibus & Catechumenis licuit uſque ad orationem quæ præcedebat ἀσπασμὸν vel pacis dationem. Eidem tamen orationi cõmunicare licitũ erat quarti gradus Pœnitentibus, qui orationis & precum communionem habebant, non itẽ aliis. At iſti finita oratione diſcedebant cum ad pacem dandam invicem fideles accederent, id eſt, ante εὐχαριστίαν panis & vini, & utriuſque diſtributionem. Hæc poſterior pars Liturgiæ ſola peragebatur cum ad parti-

ticipationem tantum Sacramentorum conveniebant, ut cum recens ſacro lavacro tinctos traducebant ad perceptionem communionis, ſicut fieri ſolitum in primitiva Eccleſia. Nā baptizatis ſtatim Euchariſtiam concedebant. In ea concedenda cũ ad hoc tantũ coirent fideles omiſſa priore parte Liturgiæ eam duntaxat explebant quę ad Sacramentorum confectionem pertinet. Inchoabant igitur eam actionem à precibus pro baptizato faciendis & pro reliquis fidelibus. Clare hoc inſinuat idem Iuſtinus in eadem Apologia. Ἡμεῖς δὲ μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς, ἄγομεν ἔνθα συνηγμένοι εἰσὶ, κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων ἀνθρώπων. *Nos ubi lavacro ſacro tinximus eum qui credidit cōſenſique omnibus iis quæ in baptiſmo agũtur, ducimus ad fratres dictos, ubi conventus ſuos habent, ibique communes preces fundimus pro baptizato, & pro nobis ipſis aliiſque qui ubique ſunt.* Has preces ſubſequebatur ἀσπασμὸς ſive pacis datio, & reliqua omnia quæ

ſupra

ſupra commemoravimus. In Stationibus quoque hanc ſolam partem Liturgię ultimã peragebaut, relicta priore, quia illis ieiuniorum diebus non alia de cauſa coibant & ad Eccleſiam accedebant quam ad ieiunium participatione Euchariſtiæ ſolvendum. Errant quippe magnopere qui opinantur, Stationum diebus perſtitiſſe populum à ſummo mane in Eccleſia uſque ad nonam diei. Epiſcopus Aurelianenſis id probare contendebat teſtimonio Tertulliani, quo noſtra plane ſententia confirmatur, ex lib. II. ad Uxorem, his verbis: *Vt ſi Statio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſervanda ſunt, maritus eadem die conviviũ exerceat.* Ait ſane mulieris Chriſtianæ quæ gentili nupta ſit, impediri Stationẽ poſſe, quod eadẽ hora maritus eius cõdiceret ad balneas, qua Statio uxori ſit obeũda. At Aurelianẽſis ex eodẽ Tertulliano probari cẽſet poſſe, tẽpore matutino veteres ad balneas iviſſe. Sic enim eius verba citavit ex Apologetico. *Non lavor diluculo*, ut gentiles ſcilicet, *ſed lavor honeſta hora.* Sed de-
 buit

buit ille verba integra auctoris adducere; tum aliud tinnirent. Ita autē habēt: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdā. Attamē lavor honesta hora.* Solis Saturnalium diebus diluculo lavabant Romani, quia de die convivia agitabant, id est medio die. Aliis temporibus balnea non ante nonā patebant, ut multis docuit Salmasius ad Historiæ Augustæ scriptores. Eadem igitur hora fuit balnei tunc gentilium & Stationis Christianorum. Præterea cum dicit Tertullianus, *de die condicat ad balneas*, ut loquitur ille, *de die* non sonat matutinū tempus, sed diem ferme medium. Vt & illud *de nocte* non est de initio noctis accipiendū, sed de intēpesta & multū provecta nocte. Sed nec eum iuvāt antelucani cœtus Christianorum Plinio memorati. Veteres quippe illi Christiani solis diebus Dominicis coibant ad orandum, & antelucano tempore, quia latitare studebant propter persequutiones. Reddita tamē pace ac libertate Ecclesiæ sub imperatoribus etiam Christianis, diebus Dominicis matutino tempore Synaxes con-

congregabant, atque, ut loquitur Epiphanius, ἀφ' ἕωθεν, & κατὰ τὰ πρώϊνα. In aliis locis ubi Stationes illæ non obſervabantur ad ieiunium ſolvendum & participandam Euchariſtiam, ſolam habebant orationem, id eſt, priorem integræ Synaxeos partem. Λειτουργίαν εὐχῶν appellat Concilium Laodicenum, quę habebatur nona & veſpera. περὶ τοῦ τὴν αὐτὴν λειτουργίαν τῶν εὐχῶν ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις ὀφείλειν γίνεσθαι. Horarum harum hac differentia diſtabant ieiunia à Stationibus, quia Statio ſive ſemijeiunium ſolvebatur nona, & ieiunium veſpera. Ideo ſignavit Tertullianus utriuſque diſcrimen his verbis, *Vt ſi Statio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſervanda ſunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Hora quippe balnei, ut diximus, ab octava ad nonam, quę & hora Stationis fuit, ut Epiphanius dicit, πρὸς τὴν ἐννάτην. Hora autem convivii ad veſperam, qua ieiunia diſſolvebantur. Montaniſtę autem Stationes ſuas uſq; ad veſperum protrahebant. Ideo & tum in Eccleſiam conveniebant, ad fi-
 nien-

niendũ ieiunium cõmunicatione corporis Christi. Constitutiones Clemẽtis lib. v.cap.XVIII. ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς ταῖς πρὸ τῆς παρασκευῆς πρὸς ἑσπέραν ἕκαστος ἐσθιέτω, ἐν δὲ τῷ σαββάτῳ ἕως τῆς ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες καὶ προσευχόμενοι καὶ ἀναγινώσκοντες τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας καὶ τοὺς ψαλμοὺς μέχρις ἀλεκτρυόνων κραυγῆς. Ita hęc verba legẽda ex libris. In aliis igitur Ecclesiis ubi Stationes cum Eucharistię participatione non fiebant, solis orationibus defungebantur & lectionibus Prophetarum & Apostolorum , & Psalmorum cantu. Quæ omnia priorem partem integræ Synaxeos absolvebant usque ad osculum pacis, quo finiebatur προσευχή. Inde autem incipiebat altera & postrema pars Synaxis vel Missæ, quæ fiebat ad participanda Sacramenta corporis & sanguinis. Integra autem Synaxis sive Missa quia multis orationibus & gratiarum actionibus constabat, ex ordine faciendis, idcirco de ea dicebatur *Ordo Missæ*, sive *Canon Missæ*. Quo nomine intelligebant numerum orationum in Missa ex ordine faciendarum. Hinc *Ordo Romanis* hodieque dicitur. Hinc apud

apud Isidorum, Rabanum Maurum, Amalarium, & Strabonem, *Ordo Missæ*, de integra, ut dixi, Synaxi vel Liturgia. *Canon* etiam Missæ olim appellabatur. Nam *Canon* idem quod *Ordo*. Unde & *Canon scripturarum*, catalogus nempe earum quæ genuinæ sunt & ab apocryphis separantur. Vnde & *Canonicæ* appellantur, à Canone, id est, à catalogo quo comprehensæ sunt in illo numero. Sic *Canon Ecclesiasticus* idem qui ordo. Vnde ἐν κανόνι & τοῦ κανόνος esse dicuntur qui sunt ordinis Ecclesistici, quos etiam ab eo κανονικοὺς vocarunt. Sic apud Georgium Syncellum κανὼν βασιλέων, canon Regum, id est, catalogus vel laterculus quo nomina regum continentur. ὡς ἐν κανόνι τῶν βασιλέων δηλοῦται. At Romana Ecclesia abusive distinxit *Canonem Missæ* ab *Ordine*, cũ idẽ plane sit; & Canonem pro ea parte usurparunt Canonis sive Ordinis in qua oblatio fiebat, sive consecratio. Quam & *Actionem* absolute vocabant, quia in ea Sacramenta conficiebantur Dominica; *Canonẽ* vero, quia in ea esset legitima & regularis Sacramentorũ cõfectio. Quę

falsa sunt, & ridicula, cum *Canon Missæ* & *Ordo Missæ* proprie eadem sint. Vt autem Canonem, qui totus erat Ordo, pro Ordinis parte posuerunt, ita & *Collectam*, quæ totam olim Synaxin significavit, pro parte usurparũt Collectæ sive Synaxis, id est, pro precibus & orationibus quæ in ea fiunt. Ordinem illius septenario numero orationum concludit Isidorus. In aliis Ordinibus pauciores aut plures fuere. Antiquissimus quisque ut simplicissimus, ita minore numero constitit. Sed hæc non sunt huius loci. Cum igitur integer Ordo sive Canon, ac tota Lyturgia, in duas partes divideretur, ubi prima desinebat, nempe in pacis datione, ibi postrema incipiebat. Divisim alterutra pars certis diebus fiebat, certis vero utraq;. Quando ad orandum tantum conveniebant, priorem tantum celebrabant: quando ad solam Sacramentorum participationem, ut Stationum diebus, aut ad Sacramenta conferenda baptizatis, posteriorem solam. Diebus Dominicis & festis utramque complebant. Cum scribit Tertullianus

lianus in Libro de Oratione, *Osculũ pacis esse signaculum orationis*, non de Dominica oratione intellexit sed de προσευχῇ quam quotidie facere soliti erant, cum orandi tantum gratia conveniebant ad Ecclesiam. Eum conventum *communicationem orationis* appellat in Apologetico. Eam orationis communicationem solam habuere cum integra Liturgia celebraretur, illi qui non participabãt Sacramentis, quiq; ἀκοινώνητοι proprie dicebantur, & Pœnitentes quarti gradus qui in συστάσει erant. In istis porro orationum conventibus qui finiri consueverant osculo pacis, nonnulli, ut idem scribit Africanus auctor, *habita oratione subtrahebant osculum pacis*, quia ieiunabant. Hanc pravam consuetudinem corrigere ibi satagit Tertullianus. Qua mente aut consilio hoc facerent, non ibi exponit auctor. Non debere fieri multis tantum probare conatur. Sollennibus diebus ieiuniorum cum omnes ieiunarent, ut die Paschæ, osculo abstinebant. An illi qui voluntarium ieiunium suscipiebant seorsim à fratribus, quando cum

cum fratribus orabant, osculum subtrahebant? Non enim ea ratione id eos fecisse existimandum, quia cum nollent communionem eo die cum fratribus participare, non putarent etiam pacis osculum cum fratribus reciprocare. Nam de orationum conventibus ibi loqui certum est Tertullianum, non de communicatione Sacramentorum. Nam ut ait idem in eodem libro, *Ne prius ascēdamus ad Dei altare, quam, si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace?* At qui ieiunabant voluntaria devotione, ad orationem quidem una habendam cum fratribus accedebant, sed quia cōmunionem cum iis non erant habituri, non putabant necessarium esse, osculo pacis testari bene sibi cũ omnibus qui aderant cōvenire. Ex his si forte possit aliquis colligere, etiam multos tunc temporis interfuisse divinæ rei celebrationi, qui tamen non communicarent. Quod non ita est. Nam ut iam dixi, de conventibus loquitur eo loco Tertullianus, qui ad orationem tantum simul

ſimul habendam preceſq; in commune iungendas à Chrtſtianis illius temporis habebantur. Quod facile eſt ſic probari. Non ieiunabant die Dominica. At hic mentionem facit ieiunantium, qui habita oratione cũ fratribus ſubtrahebant oſculum pacis. Præter diem Dominicam aliis duobus in ſeptimana diebus Stationes celebrabant, & in iis cõmunicabant, die nempe Mercurii & die Veneris. De his vero hic etiam non poteſt accipi. Nam & paulo poſt aliam carpit quorundam opinionem & conſuetudinem, qui Stationum diebus non putabant ſacrificiorum orationibus interveniendum, cum voluntate propria ieiunarent, quod Statio ſolvẽda eſſet accepto corpore Chriſti. Quo etiam ex loco, ut ante monuimus, certo conſtat, neminem tunc interveniſſe Sacramentorum corporis & ſanguinis celebrationi, qui non communicaret. Non ergo damnat in iis Tertullianus, quod iis diebus quibus Euchariſtiæ erat communicandum, propter ieiunium ſuum voluntarium ad Eccleſiam nollent ventitare, ne rumperent

perent ieiunium, quod Eucharistiæ sumptione resolvebatur, sic tamen adesse eos vult, ut accipiant cũ aliis corpus Domini, & reservent. Alia igitur illa communio orationis ad quam tum conveniebant Christiani singulis diebus quibus Eucharistiæ participandæ causa Synaxis non fiebat. In illis orationibus cõmunibus etiam osculo pacis, ut ex illis Tertulliani patet, sese invicem omnes excipiebant. Ea Synaxis solarum precum causa habita finiebatur illo osculo. At Synaxis Eucharistiæ gratia habenda ab eo incipiebat. In quo conventu Synaxis orationis separabatur à Synaxi Sacramentorum, ut iam diximus, & προσευχῆς κοινωνία dicebatur, sua participabant Catechumeni & Pœnitentes quarti gradus, non aliis. Illa vero separatim etiam celebrari solebat à fidelibus primis temporibus Ecclesiæ omni die quo non communicabant communioni corporis & sanguinis. Quinimo & *Missam* vocabant omnem eiusmodi congregationem fidelium & conventum qui orandi tantum gratia fiebat. Quod apud

Cassia-

Caſſianũ ſępe occurrit de Monac horũ *Miſſis* ſive precibus, ad quas coibãt faciendas tertia, ſexta, nona, & veſpere. Ita & *Miſſa Catechumenorũ* Synaxis erat ſive pars Synaxeos, in qua Catechumeni orabant cũ fidelibus vel pro his oratio habebatur. Vt autẽ *Collecta* eadẽ proprie cum *Synaxi* & *Miſſa*, ita eadẽ abuſione *Collectas* poſterior ætas appellabat orationes ſive preces quæ fiunt in Miſſa Euchariſtiæ. Tres fiebant in ordine apud Laodicenos obſervato: prima ſub ſilentio, alterę duæ clara voce. Hę fidelium orationes dicebantur. *Collectas* eas dixere proprie recentiores Latini. Cuius nominis vim non recte exponunt Rabanus & Strabo, aliique. Apud hunc ita legitur in libro de Rebus Eccleſiaſticis cap. xx. *Cum videamus uſque hodie, & lectiones, & collectas, & diverſas laudũ ſpecies iã pæne abũdãtibus omnibus ſuperaddi.* Eas quas dixi orationes intelligit. *Miſſas* ergo eadem notione uſurparunt pro precibus ſive orationibus quæ fiebant abſque celebratione ſacrificii. Sed & *Miſſa* quæ Catechumenorum Latinis dicitur, Græce eſt ἀχὴ

ηατη-

κατηχουμένων in Laodiceno Concilio can. XIX. κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι. Quæ *Missa est fidelium* Latinorum, ea quoque εὐχὴ ibidem τῶν πιστῶν appellatur. Cum autem *Missam* absolute interdum dicant pro ipsa sacrificii celebratione, ita & Græci εὐχὴν pro eadem usurparunt κατ' ἐξοχήν. Ita notat Balsamo, quosdam accepisse τὸ συνεύχεσθαι pro συνιερουργῆσαι in canon. XI. Apostolorum. In Epistola Timothei εὐχὴ pro oblatione positum occurrit. Sic cum λειτουργίαν absolute Græci dicunt, de ea oblatione intelligunt quæ & θεία λειτουργία, & ἱερὰ καὶ σεπτὴ λειτουργία passim apud patres vocatur. Vnde & λειτουργεῖν pro offerre can. XXXI. Synodi VI. in Trullo. Eam vocem Latini per *Missam* reddiderunt. Et *Missam facere* est λειτουργίαν ποιεῖν, quod de officio quo Sacramenta conficiuntur accipitur. At λειτουργία εὐχῶν officium est precum sine oblatione, quas *Missarum* nomine & *collectarũ* etiam nuncupare aliqui soliti sunt. In Concilio Laodiceno can. XVIII. de precibus nona & vespera celebrandis, ita vertit Dionysius, *Quod ipsum*

ipsum semper officium precum nona & vespera debeat exhiberi. In Græco est λειτουργία τῶν εὐχῶν. Hæ Missæ sunt Cassiano nona & vespera fieri à Monachis solitæ. In loco igitur quem pro Ambrosiano supra citatum à Casaubono notavimus, *Missam audire* de istis precibus accipiendum : aut si de Missa absolute dicta accipiatur, atque intelligatur de sola auditione Missæ, non de communicatione, non potest esse Ambrosii, cum is velit quotidie communicari. Ne quidem fuerit illius auctoris si placeat accipi pro conventu ad preces faciendas. Nam ex eo cõstat, in eius Ecclesia quotidie Missam ad cõmunicandum fuisse celebratam. Tẽporibus autẽ antiquioribus non is mos fuit quotidianæ communicationis, cum tamen quotidie convenirent ad orationem habendam communiter, quæ oratio claudebatur & signabatur osculo pacis. Quo committebatur pars ea Synaxis, in qua Eucharistia confici solebat in primitiva Ecclesia & Gæca. Nam Romani auctore Innocentio osculum pacis, unde initium sumebat celebratio Liturgiæ ad

Sacramenta conficienda, retraxit ad finem orationis Dominicæ, quæ ante communionem dicebatur. Haud ſcio an inductus auctoritate Tertulliani, qui ſignaculum orationis dixit eſſe oſculũ pacis, cum de oratione, quæ ſeorſũ habebatur à fidelibus iis diebus quibus nõ participabãt Euchariſtia, intellexerit, nõ de oratione Dominica. Aetate vero Walafridi Strabonis, cum oſculum pacis poſt conſecrationem more Romano & novo daretur, & cum multi eſſent qui Miſſæ intereſſent ſine communione, de his dubitatum, an ad oſculũ pacis, ſive ad pacẽ deberent accedere. De quo tamen non debuit dubitari, cum more antiquo etiam orationis diebus citra Sacramentorum participationem agendæ, fideles omnes oſcula pacis mutua reciprocarent. Quod etiam magis placuiſſe nõnullis idem Strabo notat: *illum enim qui quadam ratione differt communicationem, cum tamen non ſit extra communionem, non debere à pacis gratia ſeparari, ne humilitas eius graviorum criminum ſuſpicione notetur.* Sed hæc etiam perſua-

persuasio multis incessit ævo Tertulliani, eos, qui non communicarent cum fratribus, non debere etiam osculum pacis cum his conferre. Ex eo Strabonis loco patet plurimos illo tempore in Ecclesia permãsisse dum officium divinum perageretur, & cum communicantibus adstitisse non communicantes. Quod etiam ex more qui tunc obtinebat plures simul Missas uno die audiendi, planius intelligitur. Aut enim omnibus Missis quas audiebant communicare debebant, aut si in quibusdam tantum communionem acciperent, in aliis certè non cõmunicabant. Tunc autẽ ea etiam quæstio mota est, utrum semel in die esset cõmunicandum alicui qui pluribus interesset Missis, an vero in omnibus quibus afforet Missis communicatio esset necessaria. Alii credebant pro dignitate Sacramentorum sufficere semel in die communicare, tametsi quis pluribus interveniret Missis, alii contra probabant, ut in omnibus Missis qui plures audire vellet, communionem sumeret. Ipse Strabo, ut iudicium suum interpo-

nat, neutros culpandos existimat, *quia, sicut Augustinus ait de his qui quotidie communicant & illis qui rarius, istos reverentia sanctarũ retrahit rerum; illos vero amor salubrium invitat Sacramentorum.* Quasi vero quod Augustinus dicit de his qui quotidie communicarent, ad eam quæstionẽ pertineret solvendam an in die pluries communicandum esset. Nunquam enim id factum nec auditum temporibus Augustini, neque anterioribus usque ad Apostolorum ætatem, ut quisquam in die plus quam semel communicarit. Rationem addit cur etiã fidelis plures in die cõmuniones suscipere possit. *Nam & ipse Sacerdos*, inquit, *quoties in die Missas facit communicare non omittit. Quod si non faciat. canonico est feriendus iudicio.* Atque hoc novum, ut de fidelibus Laicis, itidem & de Sacerdote, antiqua Ecclesiæ consuetudine & usu, ut quisquam Sacerdotum plus etiam quam semel in die communicarit. Una cum Sacerdotibus omnibus Laici quoque unius parochiæ cõmunicabant. Cum eo qui præsidebat & actionem celebrabat cæteri

teri circumſiſtebant menſam & primi cum ipſo communicabant. Deinde & Laici ad eam communionem admittebantur. Inde illa differentia *communionis Laicæ*, & *Sacerdotalis*. Hæc erat qua Sacerdos inter Sacerdotes, Epiſcopus inter Epiſcopos communionem accipiebat. Excommunicatus autem vel degradatus Epiſcopus vel Preſbyter à propria communione excidebat, & ad peregrinã & Laicam redigebatur. Ne prioribus quidem Eccleſiæ ſæculis nota fuit hæc differentia *Eccleſiaſticæ* & *Laicæ* communionis, ut alibi dicetur. Multo minus novit purior & ſanior Eccleſia Sacerdotes aut Laicos ter aut quater vel amplius in die cõmunicantes & pluribus Miſſis adſiſtẽtes, partim ſine communione, partim cum communione. Minime vero omnium id uſitatum aut auditum unquam liquet, ut omnes de more intereſſent celebrationi Euchariſtiæ qua non participandum haberent. Illud omnino certum eſt, in primitiva Eccleſia, cũ varius eſſet mos pro locorum diverſitate de Sacramẽtorum corporis & ſanguinis ſollen-

lennitate, quādo & quoties esset inter unius septimanæ spatium celebranda, in eo tamen omnes Ecclesiæ conspirasse per quattuor prima sæcula, ut nemo officio divino interesset quo Eucharistia cōficiebatur qui non eius particeps fieri vellet aut deberet. Verba Augustini de ea Ecclesiarū varia consuetudine supra retulimus. Sed in iis nō legitur fuisse aliquas quæ semel in anno cēserent esse cōmunicandū, ut tradit Walafridus Strabo in libro de rebus Ecclesiasticis cap.xx. Illæ si fuere, non nisi semel celebrationem Eucharistiæ faciebant, idque in die cœnæ Dominicæ, *ut ibi solum*, inquit, *Sacramentorum gratia iteraretur illorū ubi primitus est ostensa. Unde & ipsa die solvebant ieiunium, sicut in festis actitare solemus, & ante meridiem collectas explebant.* Ergo eo die circa vesperam Eucharistiam celebrabant qua hora ieiunium illius diei solvere debebant. Sed & Mōtanistæ qui Stationes suas à nona in vesperam extrahebant circa vesperam Ecclesiām inibant, & ibi participato corpore Christi ieiunium finiebant.

niebant. Qui vero usque ad gallicinium ieiunia extendebant, circa illud ipsum tempus ἀπολύσιν faciebant tam ieiunii quam officii. Miror autem illud Walafridi de cõmunicatione annua quarundam Ecclesiarum. Huius hæc sunt verba: *Alii ut ex patrum collationibus discimus semel in anno communicandum censebant, ut videlicet diuturna præparatione corpus & animam purificantes tandem ad communionem mensæ cælestis pertingerent. Et quidam horum alii ipsam celebrationem annuam in die Dominica faciebant, ut ibi solum Sacramentorum gratia iteraretur illorum ubi primitus est ostensa.* Qui sunt illi Patres ex quorum collationibus id se dicit didicisse? Ambrosius certe solus omnium quod sciam, si modo is est Ambrosius, id tradit ib. v. de Sacramentis cap. IV. in expositione Dominicæ orationis, & Græcos in Oriente ita facere consuesse ait. *Si quotidianus*, inquit, *est panis, cur post annum illum sumis quemadmodum Græci in Oriente facere consuerunt?* Sed quinam illi Græci sint in Oriente, nescio. Nec cur Augustinus, cum eandem

dem orationem enarraret, dicat, minime Orientalibus convenire eam interpretationem de pane Christo, *quia plurimi*, inquit, *in partibus Orientalibus non quotidie cœnæ Dominicæ communicāt, cum panis iste quotidianus sit.* Non dixit, Orientales omnes aut Græcos in Oriente, quod de omnibus Græcis intelligendum esset, semel tantum in anno panem Eucharistiæ sumere, ut iste tradit Ambrosius, qui non potest esse qui dicitur. Nec enim verus Ambrosius, vir tantus, ac rerum secularium ex æquo atque Ecclesiasticarum peritus, nescivit quid Græci sua ætate facerent, & quem morem communicandi haberent. Aliquorum in singulis Ecclesiis hic mos & opinio fuerit nusquã totius Ecclesiæ. Memini Chrysostomũ alicubi id de aliquot fidelibus suæ Ecclesiæ dicere. Verũ de his alio loco. Quã autẽ falsũ sit illud de annua Græcorũ cõmunicatione, Socrates & Sozomenus qui nõ lõge ab ætate veri Ambrosii vixere, ostendunt. Scribit ille quippe, quod & iste confirmat, in omnibus ubique terrarum Ecclesiis præterquam in Romana

na & Alexandrina, diebus Sabbati & Dominica, ſolita celebrari divina Sacramenta. Τῶν ἁπανταχοῦ, inquit Socrates, τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐν ἡμέρᾳ σαββάτων κατὰ πᾶσαν ἑβδομάδος περίοδον ἐπιτελουσῶν τὰ μυστήρια, οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔκ τινος ἀρχαίας παραδόσεως τοῦτο ποιεῖν παρῃτήσαντο. Sozomenus ſcribit Cōſtantinopolitanos, & fere omnes Chriſtianos, exceptis Romanis & Alexandrinis Sabbato ἐκκλησιάζειν, id eſt, conventum habere Eccleſiæ ad Sacramenta celebranda, quod συνάξεις ποιεῖν & ἐπιτελεῖν alii dixere. Vbi igitur illa annua celebratio myſteriorum quā ſolam & unicā Græci in Oriente facere conſuerāt, ut vult Pſeudo-Ambroſius? Narrant iidē Socrates & Sozomenus, apud Aegyptios cæteros & Thebaidem incolentes Sabbatis celebrata quidē myſteria, ſed modo alio quā reliquis mos eſſet Chriſtianis. Etenim pranſi cum eſſent, circa veſperam conveniebant in Eccleſiam & Cœnæ Dominicę cōmunicabant, ſicut à Chriſto ipſo inſtituta fuit, nempe poſt vel inter cœnam, & cœnatis ab eo diſtributa Apoſtolis.

Quod & ipsum annuatim facere instituerant Ecclesiæ Africanæ, ipsa die Dominicæ cœnæ, feria nempe quinta maioris, ut vulgo loquuntur, hebdomadæ, ut est in codice Ecclesiæ Africanæ can. XLI. Non Orientis modo sed totius orbis consuetudinem hanc fuisse, aiūt Socrates & Sozomenus, ut diebus Dominico & Sabbato mysteria divina celebrarentur, excepta Romana & Alexandrina. Negat hoc Petavius, homo quantivis pretii & auctoritatis, quia Grotio ita videtur, & solius fere fuisse Orientis affirmat. Bene additum illud ab eo *fere*: Sed cur non eos quos excipi vult protulit? De Hispaniis etiam hoc tradit Strabo cap. XX. de Rebus Ecclesiasticis: *Alii omni Dominica vel Sabbato apud Orientem & Hispanias Missas facientes, commemorationem passionis Dominicæ omni septimana si facerent, sufficere credebant.* Illud *vel* in his verbis more loquendi tum usitato valet idem quod coniunctiva particula *Et*. In Eliberino tamen Concilio sancitur ieiunium Sabbati, cū antea non esset ibi consuetum eo die ieiunari.

iunari. *Errorē*, inquiunt, *placuit corrigi, ut omni Sabbati die superpositiones fiant. Superpositiones* nō ibi appeāltur, ut cē-sent interpretes, ieiuniorū impositiones quæ solitę nō essent observari. Sūt enim solidæ & integra ieiunia quæ unū diem cibo superponūt, ut loquutus est Solinus. *Vnum diem cibo superponere*, est per diem integrum & solidum cibo abstinere. Ita *superponit cibo diem* qui ab eo tēpore quo cibum sumpsit diem unum effluere sinit priusquam cibum iterum capiat. Hoc Græci dixere ὑπερτιθέναι μίαν ἡμέραν, aut δύο aut τρεῖς. Vnde & ὑπέρθεσις pro ieiunio, id est, Superpositione. In eodem Concilio Eliberino can. XXIII. sancitur, *Ieiuniorum superpositiones per singulos menses placuisse celebrari, exceptis diebus duorum mensium Iulii & Augusti, ob quorundam infirmitatem.* Quia enim summi sunt per illos duos menses calores, & præcipue ei Hispania, vix durare integrum ibi diem ieiunans, nisi admodum validus . tum posset. Ita Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XVI. ὑπέρθεσιν νηστείας dixit de ieiunio para-

paraſceves, in qua vigilia ſervata fuerat; διά τε τὸν κάματον περιγινόμενον ἡμῖν ἔκ τε τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς καὶ τῆς ἀγρυπνίας. Nõ eſt igitur Superpoſitio ieiunii proprie, nec *Superpoſitio* niſi ſolidus dies ieiunio extrahatur. ὁλοκλήρους νηστείας vocat Clemens in Cõſtitutionibus. Ergo Stationum ieiunia non erant Superpoſitiones, quia ante finem diei ſolvebantur, id eſt, hora nona. Sed dies eſt naturalis & civilis. Vtriuſque dicebantur Superpoſitiones. Quæ ad veſperam quippe deſinebant ieiunia, ut in Sabbatis apud eos qui die Sabbati ieiunabant, unum diem naturalem cibo ſuperponebant. Nam finis diei veſpera, & ſol occaſus. Aliæ erant Superpoſitiones diei civilis, quæ diſſolvebantur tantum vel media nocte vel gallicinio. Si quis biduum ita continuaret, aut triduum, vel plures dies, is dicebatur, διπλᾶς vel τριπλᾶς ἡμέρας ὑπερτιθέναι. Epiphanius, ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς. Alii per eos dies ad veſperam tantum uſque ieiunabant, ut idem

idem dicit ibidem, ἄρτῳ δὲ ἁλὶ καὶ ὕδατι χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. Certe qui semel tantum in die cibum ſumit, & per aliquot dies in ea abſtinentia perſeverat; diem ſolidum ſic cibo ſuperponit, & Superpoſitionem facit, quacunque hora diei cibum ſumat. Hoc igitur ὑπέρθεσις. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. v. cap. XVII. hoc vocat ὁλόκληρον ἡμέραν νηστεύειν. τὴν μέντοι, inquit, παρασκευὴν καὶ τὸ σάββατον ὁλόκληρον νηστεύετε, εἰ δυνατὸν, μηδενὸς γευσάμενοι μέχρι ἀλεκτοροφωνίας νυκτός. Εἰ δέ τις ἀδυνατεῖ τὰς δύο συνάπτειν ὁμοῦ, φυλασσέτω κἂν τὸ σάββατον. Sed hæc obiter. Ieiuniorum autem ſive Superpoſitionũ celebratio non prohibebat celebrationem myſteriorum. Nam in multis Eccleſiis ἀπονηστισμὸς, ſive ſolutio ieiunii, fiebat ſumptione Euchariſtiæ, non in Stationum tantum diebus, ſed in plenis ac ſolidis Superpoſitionibus. Apud Cyprios teſte Epiphanio Quadrageſima tota Synaxis celebrabatur ab hora nona ad veſperam, & ieiunium ſolvebatur ſumpta Euchariſtia. Quibuſdam in locis quinta feria ſeptimanæ maioris cele-

lebrabantur hora nona mysteria, & nihilominus manebant in ipsa xerophagia. Epiphanius, Ἐν τισὶ δὲ τόποις λαξεία οἰκονομίας ἐν τῇ πέμπτῃ γίνεται ὥρα ἐννάτῃ, καὶ οὕτως ἀπολύη μθρόντων ἐν τῇ αὐτῇ ξηροφαγία. Alii solvebant eo die ieiunium post Eucharistiam participatam quod tamen vetant fieri patres Laodiceni hoc canone, quo decernunt, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ τῇ ὑστέρᾳ ἑβδομάδι πέμπτην λύειν, *quod non oporteat in Quadragesima in ultima septimana quintæ feriæ ieiunium solvere.* Valafridus Strabo de hac ipsa feria qua Christus cœnam suam instituit; *Vnde & ipsa die solvebant ieiuniū, sicut & in festis actitare solemus, & ante meridiē collectam explebant. Quod in canonibus partim ostenditur, & penitus prohibetur.* Intelligit canonem illum Laodicenum quem citavimus. In Ecclesiis Africanis, ut ante ostēdimus, eo die pransi cum essent, sub vesperam celebrabant Dominicam cœnam. Sed incertum est utrum Laodiceni patres nolint in totum eo die celebrari Sacramenta, quorum utique communicatione solvendum eiunium, an ita celebrationem etiam fieri,

ne

ne ſub veſperam iis peractis ieiunii ſolutio ſequatur. Sed apparet, nolle eos eo die Sacramenta celebrari, ut nec tota Quadrageſima, exceptis diebus Sabbati & Dominica. Nam Canone qui præcedit vetant in Quadrageſima panem Euchariſtiæ offerri. Epiphanius autem tradit, in nonnullis Eccleſiis tota illa ſeptimana non celebrata fuiſſe myſteria niſi illuceſcente Dominica Paſchatis, ſub galli cantũ, dimiſſo populo, vel ſoluto ieiunio. Ἐν ἄλλοις δὲ τόποις, inquit, οὐ γίνεται λατρεία τῆς οἰκονομίας ἢ μόνον ἐπιφωσκούσης τῆς Κυριακῆς, ὅτε ἀπολύη περὶ τὴν τῶν ἀλεκτρυόνων κλαγγὴν ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ. In Concilio Braccarenſi primo uſque ad nonam feriæ quintæ qua cœna Dominica celebranda erat, ieiuni manere iubentur qui Miſſas in Eccleſia tenerent, quia nimirum ea hora cœna Dominica peragеretur. Sectæ Priſcilliani mentio fit in eo canone, qui feſtivitatem illius diei colebant, Miſſis celebratis ab hora tertia, & ſoluto ieiunio. Quod igitur quædam Eccleſiæ Sabbati die ieiunarent, non ex eo ſequitur, eo die non fuiſſe



fuisse celebrata altaris Sacraméta. Hæc erat enim eorum temporum consuetudo, ut etiam diebus ieiuniorũ quacunque ex causa essent indicta celebrari soleret conventus ad Eucharistiam participandam, ea hora qua solvi deberet ieiunium. Ita in vigiliis maiorum festorum, quibus morem habebant ieiunare ad horam nonam aut ad vesperam, ubi facta Synaxi & celebratis mysteriis cœnabant. Eas νηστίμους ἡμέρας vocabant illius diei cuius festivitas erat colenda. Posterius ævũ *vigilias* vocavit. Hebræi *vesperas*. Inde explicãdus locus Theophili Alexãdrini, qui valde torsit eruditos, & inter alios delicium illud eximium Grotii, Petavium Iesuitam. Is in Animadversionibus ad Epiphanii Expositionem fidei, multis modis admirabile esse decretum illud scribit Theophili Alexandrini quod apud Balsamonem extat, in quo Theophania νήστιμον ἡμέραν esse dicit, & quoniam anno illo in dominicã inciderat, paucis tantummodo dactylis vesci iubet, quo ab hæreticis *seiunctos se esse profiterentur qui Dominicæ resurrectionis*

dieus

dim non colerent, & hoc ipso quod vespertinam Synaxim præstolarentur, ieiunii religioni satisfacerent; ac postremo Synaxes ab hora nona celebrandas indicit. Hæc verba sunt Petavii. Itane vero? Tu Petavi putare potuisti Theophilum potuisse illic ieiunium indicere Theophaniorum, sive Natalis Dominici die, & quidem qui incidisset in Dominicam, cum duplex esset causa non ieiunandi, & ex die resurrectionis Domini, & ex die nativitatis eius? Non admirabile illud Theophili decretum, sed tua potius admirabilis inscitia, ac non ignoscenda hallucinatio, qui νήστιμον ἡμέραν τῶν θεοφανίων pro ipsis Theophaniis accepisti, cum eum diem significet quo propter sequentia Theophania ieiunabatur. Adeo autem nullũ veteres illi ieiuniũ observarunt die Epiphaniorũ vel Theophaniorũ, ut si incidisset in diem ieiunio alioquin sollennẽ, ut in quartam aut sextã feriam, tũ nefas haberẽt ieiunare. Quod Petavium suus Epiphanius docere debuit. Sic enim scribit in Expositione fidei, ὅτε ἐν ἡμέρᾳ τῶν ἐπιφανίων ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ κύριος ἔξεστι νηστεῦσαι;

κἄν τε περιτύχῃ τετρὰς, ἢ προσάββατον. Quomodo igitur ieiunaſsẽt in ipſis Epiphaniis quę in diem Dominicã inciderant, qua die nec ieiunare licuit, cum dicat Epiphanius. ſi contigerit Natalẽ Domini incurrere in diem aliquẽ qui ieiunio in Eccleſia ſit ſollemnis, nullo modo eſſe ieiunãdũ? Certe nec de hoc caſu ibi tractat Theophilus, ſed lõge alio. Non enim de ipſo die Theophaniorum loquitur, ſed de proxime præcedente Theophania, quã *Vigiliam* vulgo appellant. Eo anno illa inciderat in Dominicam. Dominica non ieiunabatur, at ieiunabatur in vigilia Theophaniorum. Quid iuris autem? aut quomodo & ieiunii religioni, & Dominicæ feſtivitati ſatisfaciendum? Utrique rei remediũ ſuo ullo decreto voluit quęrere Theophilus. Ut paucis nẽpe dactylis in prandio fas eſſet veſci, quo teſtarentur ſe non ieiunare. Eo autem die nona hora Synaxis fieret, id eſt, myſteriorũ celebrat[illegible] qua hora ſolita eſſet fieri ipſis ieiunorũ diebus, ut nimirum poſt participationem Euchariſtiæ ad veſperam cœnare poſſent. Omnia enim ie-
iunia

Iunia eo tempore ita erant comparata ut nihil pranderent, ſed tantum cœnarent. Vult igitur Theophilus eo die in prandio paucos dactylos ſumi, ne viderentur ieiunare die Dominica. Synaxin autem veſpertinam opperiri ad cibum plenum capiendum & cœnandum, ſicut tralaticiũ foret in ieiuniorum diebus. Hæc mens Theophili, cuius verba ita ex ſcripto codice antiquiſſimo legenda, Ἐπειδὴ οὖν συνέβη τὴν τῶν ἁγίων θεοφανίων νήστιμον ἡμέραν ταύτην εἶναι, οἰκονομήσωμεν πρὸς ἑκάτερον. Quoniam cõtigit ſanctorum Theophaniorum diem ieiunialem in hanc concurrere; id eſt, in Dominicam, ita utrunque diſpenſabimus, ut ſcilicet & ieiunii religio & diei feſtivitas ſervetur. Vulgo ſcribitur peſſime ſic; & diſtinguitur, Ἐπεὶ οὖν συνέβη τὴν τῶν ἁγίων θεοφανίων νήστιμον ἡμέραν εἶναι, ταύτην οἰκονομήσομεν. Quæ prava diſtinctio & ſcriptura, fraudi fuit eximio Petavio. Sed advertere debuit, νήστιμον ἡμέραν τῶν θεοφανίων ab eo dici illo ſenſu quo alii hunc ipſum diem dixere νηστείαν τῶν τοῦ χριστοῦ γεννῶν, *ieiunium Chriſti Natalis*,
 hoc

hoc est, diem qui præcedit Natalem Christi, quo ieiunatur. Romana autem Ecclesia in hoc die à Græca dissentiebat circa horam cœnandi. Romani quippe hora nona cibum capiebant, finita eo tempore Synaxi, Græci vero vespero tantum post vespertinam Synaxin celebratã. Theodorus in Pœnitentiali, capite de moribus Græcorum & Romanorũ, de die Dominica: *In illa die*, inquit, *ante Natalem Domini hora nona expleta Missa, id est, vigilia Domini, manducant Romani, Græci vero dicta vespera & Missa cœnant.* Quod ad Sabbati ieiunium attinet, magna etiam fuit Græcæ & Romanæ Ecclesiæ olim super eo differentia, cum Græci pari cultu eum diem prosequerentur ac Dominicum, & pariter festum haberent, Synaxesque matutinas ut Dominico in eo celebrarent, Romani contra ieiunarent. Sed & priores Romani in hoc à posterioribus diversi. Nam prisci ita ieiunium illius diei instituerunt, ut Sacramenta non celebrarent. Postea ex Gelasii & Gregorii secundi decretis Missæ celebratæ

bratæ ſunt in veſpere Sabbati. In Hiſpanienſibus quoque Eccleſiis idem factum. Nam ex Gerundenſis Concilii can. III. ita conſtitutum legimus, ut in Sabbati veſpere *Miſſa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & à vino decrevimus abſtinendum.* Temporc Eliberini ſola ieiunii Superpoſitio eo die obſervabatur, abſque ſacrę Euchariſtię celebratione, ut & in Eccleſia Romana antiqua fieri ſolitum. De quo Sabbati ieiunio verba illa Tertulliani accipienda in libro de ieiuniis adverſus Pſychicos, multum ab eruditis vexata ſine fructu & effectu. Exprobrat ibi Romanis ieiunium Sabbati, quod ieiunio paraſceves continuabatur, cum cæteræ Eccleſiæ in paraſceve tantum ieiunarent, non Sabbato. *Cur Stationibus*, inquit, *quartam & ſextam Sabbati dicamus, & ieiuniis paraſceven?* Ita vulgo legitur, quod eſt abſurdum. Quaſi paraſceve alia eſſet à ſexta feria. Præterea ridiculum, eundē diem Stationibus & ieiuniis eſſe dicatum, cum alibi paſſim auctor ieiunia à Stationibus ſeparet, illa ad veſperam ſolvenda,

istas ad nonam finiendas. Non felicius nodum istum solvere tentavit Episcopus Aurelianensis, qui hic parasceven de diebus maioris hebdomadæ accipit. Distinctione ac lectione leviter immutata sic locus sanandus. *At ieiuniis parasceves vos etiam Sabbatum si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha ieiunandum, secundum rationem alibi redditam.* Romanis, quos Psychicos appellat, vitio dat, quod ieiunio parasceves, id est, feriæ sextæ, Sabbatum quoque continuarēt, quod semel tantum esset ieiunandum, in *Pascha* nimirum, quia esset νήστιμος ἡμέρα τοῦ πάσχα. Sic Sabbati die aliæ Ecclesiæ non ieiunabant, ut omnes fere Orientales; & multæ Occidentalium: aliæ ieiunabant. Harum quæ ieiunabant quædam Synaxes eo die sub vesperam celebrarũt, ut in diebus Stationũ mos fuit, ut posteriores Romani: aliæ citra mysteriorum celebrationem id fecerũt, ut Romani antiqui. Nonnullæ nec ieiunium eo die observarunt, nec mysteriorum celebrationem, ut Alexandrina Ecclesia. Nec est quod putet Petavius,

tavius, Sabbatis celebrata fuiſſe myſteria ætate Timothei Alexandrini, contra quam Socratis & Sozomeni tempore factum ſit. Nec eius ſententiam iuvat, quod interrogatus ille Timotheus quibus diebus coniuges abſtinere deberent, reſponderit, *διὰ ἀνάγκης τοῦ σαββάτω καὶ τῇ κυριακῇ ἀπέχεσθαι δεῖ, διὰ τὸ ἐν αὐταῖς τὴν πνευματικὴν θυσίαν ἀναφέρεσθαι τῷ θεῷ, omnino abſtinendum eſſe Sabbato & Dominica, quia in illis diebus Spiritale ſacrificiũ Deo offeratur.* Ex hoc quidẽ loco videtur plane cõſtare, ſolis diebus his duobus, Sabbato & Dominica, in Eccleſia Alexandrina celebrari myſteria ſolita. At ex alio eiuſdem Timothei loco prorſus cõſtat, omni die fuiſſe celebrata, ut ante indicavimus. Nam cõſultus de fideli Energumeno, an particeps fieri poſſet ſacrorum myſteriorũ, reſpõdit, non ſingulis diebus debere eum communicare ſed ſufficere, ut hoc illi indulgeretur Dominica & diebus feſtis, *μεταλαμβανέτω, μὴ μέντοι καθ' ἑκάστην. ἀρκεῖ γὰρ αὐτῷ κατὰ κυριακὴν, ἢ καὶ ἐν ταῖς ἑορταῖς μόνον.* An ergo ſibi contrarius hic & illic Timotheus? Non enim vi-

deo, quomodo hæ duæ Reſponſiones conciliari invicem poſſint. Sed notari & animadverti debuit vel ex Socratis verbis aut Sozomeni, non eandẽ fuiſſe conſuetudinem Alexandrinæ & reliquarum Aegypti ac Thebaidis Eccleſiarũ, quamvis ſub uno eſſent Epiſcopo qui Alexandriæ præſidebat. Civitatis Alexandrinę urbicæ parœcię ſabbato non perficiebant myſteria, Aegyptiacæ eo die illa ſolebant celebrare, & quidem veſpere. Fortean & in quibuſdam omni die communicabatur. Liber ille Timothei Reſponſionum Canonicarum ad variorum conſultationes & interrogationes compoſitus eſt. Prout igitur conſuetudo eſſet illorum à quibus conſulebatur, ita reſponſum ad eorum quæſita adtemperabat atque accommodabat. Quod pluribus probare poſſem, ſi hoc nunc agerem. Tanta porro varietas obſervationũ ac rituum in Eccleſiis Chriſtianis circa tempus ac modũ atque ordinem celebrandorũ Sacramentorum Dominicorũ facile demõſtrat, nõ ab ulla certa ratione, aut inſtituto divino, vel Apoſto-

lica

lica traditione eas manasse, sed ab inventione humani ingenii nova semper amantis, & mox consueta relinquentis. Ita ut videatur Socrates non male sic scripsisse, lib. v. cap. xxii. de hac ipsa diversitate loquens, Ἐπειδὴ οὐδεὶς περὶ τούτου ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα, δῆλον, ὡς καὶ περὶ τούτου τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ ἀπόστολοι, ἵνα ἕκαστος μὴ φόβῳ μηδ' ἐξ ἀνάγκης τὸ ἀγαθὸν κατεργάζοιτο. *Et quoniam nemo de his præceptum scripto traditum potest proferre, perspicuum est Apostolos liberam potestatem cuiusque consilio & proposito permisisse, ut singuli non timore nec necessitate adducti quod bonum esset operarentur.* De ieiuniorum & Synaxium diversitate & διαφωνίᾳ hæc ibi notavit. De libertate talium consuetudinum ab Apostolis unicuique Ecclesiæ concessa facilius ei assentirer, si de Apostolica traditione ex ipso Dei instituto aliud monstrãte nobis non constaret. Nihil, inquit, de his habemus scripto traditũ ab Apostolis. Ergo verisimile est, non scripta traditione hoc Eccesias accepisse, sed Apostolos uniuscuiusq; arbitrio

trio permisisse, ut quod melius observatu in his videretur eligeret ac sequeretur. Honesta quidē & vera esset hęc oratio, si nihil de eo scripti haberemus ab Apostolis quod sequi possemus. Tunc consuetudo non scripta nobis pro lege esset. Vbi lex est & præceptum quo institutionis forma præscripta est, nulla consuetudo potest eam excludere. Præterea hæc ratio prætēdi utcunq; posset cū aliquo colore, si una & cōstans perpetuaq; in una aliqua Ecclesia consuetudo ab Apostolorū tēporibus ad nostra hæc usq; tēpora inviolabiliter observata ostenderetur. Sed quot sæcula ferme ab assumptione Christi numerantur, tot novæ possunt computari consuetudines, aliæ aliis derogantes, aut addentes aliquid, aut penitus etiam priora instituta abrogātes. Alius in his ipsis mos fuit sæculi primi Ecclesiæ, alius secundi, alius tertii & quarti quintique, atque ita deinceps. Vbi igitur sistemus? An recentiora quæque semper meliora existimabimus? Absit. Quo longius proceditur, eo etiam longius disceditur

ab ori-

ab origine & institutione, quæ sola veritatem continet puram & impermixtam. Nec soli hodie Pontificii novos suos ritus & cultus mantelo velant traditionum Apostolicarum, sed vetera sæcula suas quoque consuetudines hac arte commendarunt, quasi ab Apostolis acceptas. Epiphanius in Expositione fidei affirmat eam Synaxeon in septimana ternarum observationem auctores habere Apostolos. Placet ad eius locum mihi Petavii nostri observatio, notantis, *haud scire se, an satis certo hoc constare queat.* Nã primis Ecclesiæ temporibus unum duntaxat Dominicum diem ad eam rem observatum videri, ut colligitur ex Apostolo 1. ad Corinthios cap. XVI. Quinetiam Iustinum Martyrem Apologia II, cum de Christianorum conventibus agit, solius Dominicæ meminisse. Τὴν τε τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. *Quare magis*, inquit, *id ex privato Ecclesiæ cuiusque ritu quam ex communi Apostolorum præscripto derivatum existimo, ut quarta sextave feria vel etiam Sabbato Synaxes conventusq; ut fierent.*

rēt. Sic bona habet intervalla Petavius, ſed rara, ut de Calvino falſo dici voluit Grotius. Si ſic omnia daret ille Ieſuita, noſter eſſet, & credi poſſet idoneus auctor religionum conciliandarum. Iuſtinus porro martyr ſecundo ſæculo vixit à Chriſti aſſumptione circa initium. Iam tum mutatio magna facta erat ab inſtitutione ipſa Chriſti & traditione Apoſtolica in huius ſacramenti celebrationis uſu & praxi. Eam quoque notavit Tertullianus ætati illi ſuppar, utpote eodem qui ſęculo ferme ſcripſerit, his verbis in libro de Corona militis: *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus*. Notandum hoc quod ait, *etiam antelucanis cætibus*. Nondum igitur tum exoleverat mos veſpere celebrandi & ſumendi eius ſacramenti, ſicut inſtitutum à Domino fuerat, ſed in antelucanis etiam conventibus, die nimirum Dominica, id ſumebāt. Quomodo Apoſtolico ęvo celebratum fuerit, oſtendit Paulus in Epiſtola priore

ad

ad Corinthios cap. XI. verſ. XXIII. Vbi dicit, ſe id ſacramentum illis tradere, pari modo nempe celebrandum ut à Chriſto acceperat. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν. Nocte id inſtitutũ à Chriſto dicit: ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο ἔλαβεν ἄρτον. Inculcat paulopoſt, id factũ, ſaltẽ in calice, poſtquã cœnaſſet: ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι. *Similiter & poculum poſtquã cænavit.* Ideo & *cænam Dominicam* appellat idẽ Paulus eadem Epiſtola verſ. XX συνερχομένων οὖν ἐπὶ τὸ αὐτὸ οὐκ ἔστι Κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Vt vero cœna ſit, debet veſperi ſumi ut mos fuit veterum tam Gręcorum quam Romanorum, quam & Iudæorum. Non reſpondet nomini, ſi matutino ſumatur tempore, & in cœtibus antelucanis. Nunquã denique Apoſtolorũ ævo Euchariſtiam liquet ſumptam niſi in cœna, & poſt cœnam, hoc eſt, circa veſperam. Diu manſit hic mos in Eccleſia per ſæculum integrum & amplius, ut fieret tantum hoc ſacramentum veſpertinis horis, & inter cœnandum. Aut in Eccleſia ipſa illa cœna parabatur, aut in privatis domibus. In conven-

conventu ipso fidelium cum fieret, unusquisque ad cœnam illam conferebat quod poterat, & præcipue qui idonei erant, pauperibus nihil de suo afferentibus. De Ecclesia narrat Paulus ibidem, ubi eos carpit qui ad cœnam Dominicam in commune participandam convenirent, quod unusquisque cœnam suam præsumeret, cum omnes una vesci deberent. Ἕκαστος μὲν, inquit, τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, καὶ ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. Ditiores nempe seorsim cœnando, qui cibum dapsilem attulerant, largiter epulabantur, pauperioribus esurientibus, quibus non suppetebat quod ederent. De privatis domibus accipiendum quod scribit Lucas in Actis cap. II. vers. XLVI. καθ' ἡμέραν δὲ προσκαρτεροῦντες ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε καὶ κατ' οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας. Non recte censent, qui κατ' οἶκον ibi intelligunt de templo, ut quidam veterum & plerique recentiores. In templo ipso, hoc est, ἐν τῷ ἱερῷ, quotidie vacabant orationi. Nam καθ' ἡμέραν significat omni die. Cœnam autem Dominicam

per

per domos privatorũ participabãt, ubi in commune epulabantur. Κατ' οἶκον est *per domos*, ut κατὰ πόλιν *per urbes*, oppidatim. Nam & Pascha νομικὸν Iudæi in suis quique domibus edebant. Ad cuius exemplum Christus suum instituit & eadem cœnæ hora sumendum. Illæ cœnæ, ut satis notum est, vocabantur *Agapæ*, sive quæ in Ecclesia celebrarentur, sive quæ in privatorum domibus. Vtrobique etiam sacramento corporis & sanguinis communicabant postquam cœnassent. Inde & ἀγάπη, ut iam notavimus ante, pro ipsa Eucharistia apud vetustissimum auctorem qui Ignatii nomen ementitus est, in Epistola ad Smyrnæos, οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν. *Nõ licet absque Episcopo neque baptizare neq; Agapen facere*, id est, Eucharistiam. Ad privatas Agapas ditiores ædium domini fratres convocabant, ibique de more etiã sacramentũ Dominicũ cœna peracta cõcelebrabãt. Ab illis privatis Agapis mos longo tempore mansit circa dinos panem Eucharisticum benedicendi & sumendi. Quarto sæculo id et-

id etiã multis in locis factitarũ liquet, ut ab Episcopis & Presbyteris oblatio celebraretur in privatorũ ędibus. Quod prohibuit Concilium Laodicenum canone penultimo, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς ποιεῖσθαι. *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrare.* Annus hic erat Christi CCCLXIV. At Synodi Gangrensis patres, quæ aliquot viginti annis anterior fuit, condemnant Eustathium eo nomine, quod improbaret eiusmodi privatas Agapas, in quibus dubio procul etiam sacramentum sumebant. *Si quis*, inquiunt can. XI, *despicit eos qui fideliter Agapas, id est, convivia, pauperibus exhibent, & propter honorem domum convocunt fratres, & noluerit communicare eiusmodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.* Ad has enim privatas Agapas referendũ est omnino quod vetat canon Laodicenus ἐν οἴκοις προσφορὰς ποιεῖσθαι. In eiusmodi enim Agapis, quæ erant convivia privatorũ, fideles fratres ad cœnam convocantium, celebrabatur etiam προσφορὰ, id est, Eucharistia. Episcopos enim simul cum fratribus convocabant, vel

Pres-

Presbyteros, à quibus more tum recepto panis & vinum benedicebatur in Sacramentum corporis & sanguinis Dominici. Non sustulit autem Laodicena Synodus privatas Agapas, sed morem in his communicandi cœna Dominicæ. Nam in canone XXVIII. eiusdem Synodi interdicitur, *ne Clerici aut Laici ad Agapam vocati ciborum partes accipiant*. Id Græci μέρη αἴρειν vocant, quas partes domum suam quisque ex convivio referebat. Eodē Concilio publicæ Agapæ & in templis fieri solitæ prohibentur regula sequenti. In quibus publicis Agapis certũ est Eucharistiã sumi olim solitã. Primo igitur Ecclesiæ seculo matutinũ tempus Dominicæ diei dabatur Orationi, vespertinũ cœnæ inter fratres communi, in qua & Eucharistiam celebrabant. Plinius Iunior in Epistola ad Traianum narrat, Christianos sui temporis *stato die*, is erat Dominicus, *ante lucē convenire solitos, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent,*

ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem iis discedendi fuisse. Orationis igitur tum causa tantum conveniebant. *Rursusque*, addit idem, *coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Eo igitur tempore cum una omnes cibum caperent, & vespere quidem, sicut mos fuit cœnandi, etiam Sacramentis communicabant. Et hæ cœnæ *Agapæ* fuerunt, à quibus & Eucharistia ipsa *Agape* dicta auctori Epistolarum Ignatianarum, qui secundo sæculo vixit Hæretici Valentini ætate. Lucas eo loco quem citavi *Orationem* & *Fractionem* panis distinguit, ut diversa & diversis temporibus haberi solita. Sic enim scribit cap. II. vers. XLII. Ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς. Cuius loci Scripturam variare ex Interpretibus Latino & Syro notat vir doctissimus. Quod non puto. Nam eandem sententiam uterque expressit, & accepit de communione Orationis simul & Sacramenti Eucharistiæ, quam κλάσεως ἄρτου nomine desi-

designavit. Tollenda modo particula καὶ superflua, ac legendum, ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῇ κλάσει ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς. Quod positũ est pro κοινωνίᾳ τῆς κλάσεως ἄρτου καὶ τῶν προσευχῶν. Verbalia plerunque nomina eadẽ constructione gaudent qua & verba ipsa à quibus derivantur. Vt apud Latinos, *quid tibi meam tactio est?* Cũ igitur κοινωνεῖν τινος & τινὶ dicatur, ut supra in Cõcilio Gangrensi, κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι, ita hoc loco apud Apostolum κοινωνία τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς dicitur pro κοινωνία τῆς κλάσεως. Notavimus paulo ante de utraque communione, precum scilicet, & Eucharistiæ, quæ & in Synaxibus locũ habuit, pro diversa qui eam obibant hominum conditione, cùm communionem precum haberent nonnulli, non etiam communicarent Eucharistiæ. Lucas paulo post utramque communionem ex locis distinguit, versiculo XLVI. καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντες καὶ ἄρτον κατ' οἶκον. *Quotidie perdurantes in templo*, nempe orationi operantes, *& panem in domibus frangentes*, id est, Eucharistiam in cœnis com-

munibus sumentes. Alii *circa domos* verterũt. Vide omnino Walafridũ Strabonem cap. xx. de rebus Ecclesiasticis. Diem Dominicum huic fractioni panis dicatũ fuisse planũ est ex eiusdem Lucæ cap. xx. vers. VII. ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς. Circa vesperam ad cœnam conveniebant tum Apostoli ad frangendum panem, & ad communicandum cœnæ Dominicæ. Eorum tempore illas cœnas *Agapas* vocatas fuisse liquet etiam ex Iudæ Epistola cap. I. vers. XI. Certe cœna non est nisi vespertina & nocturna. *Cœna nostra*, inquit Tertullianus in Apologetico, *de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio panes Græcos.* Non alio autem tẽpore primo sæculo Christianos ex institutione Christi & traditione Apostolorum Sacramentum Eucharistiæ sumendi morem habuisse, quam in cœna ad lucernam, vespertinis nimirum & nocturnis horis, testis est calumnia gentilium qua eorum cœnam infamarunt, de infanticidii Sacramento,

mento, &inde pabulo, &post cōvivium incesto, & evertētibus lumina canibus. Nō enim hæc postrema fabula cōvenit matutinis convētibus sed horæ lucernariȩ, & vesperæ. Sacramentum carnis & sanguinis Christi, quo illa edi creditur, iste bibi, ansam præbuit infanticidii Sacramēto & sanguinis ex eo iugulato hausti pabulo. Suspicionem porro incesti fecere mutua oscula fidelium ante communionem pro pace dari solita. In vespertina autem oratione Christianorum, accendi lucernas solitas, ostendit auctor Constitutionum Apostolicarum lib. VIII. cap. LV. qui in ἑσπερινῷ ἐπιλύχνιον ψαλμὸν cani docet. Inde *Lucernariū* orationis vespertinȩ hora Hieronymo in expositione Psalmi CXIX. pro qua ἑσπέρα dicūtur in Laodiceno Cōcilio. *Hora*, inquit ille, *tertia oramus, hora sexta oramus; nona lucernarium facimus, media nocte cōsurgimus*. Illud *Lucernariū* in vesperis, sive vespertinis officiis fiebat, quod Græcis ἐπιλύχνιον. Auctori Constitutionū Apostolicarum ἑσπερινὸν dicitur, quod *Lucernarium* Hieronymo. Inde & Epiphanio λυχνικαὶ προσευχαὶ, &

 ψαλμοὶ,

ψαλμοὶ, qui diſtinguũtur ab ἑωθινοῖς. Ita in Laodiceno canone XVIII. poſt ἐννάτας ſequũtur ἑσπέραι, ſive ἑσπεριναὶ προσευχαὶ. καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις. *Veſperas* hodieque dicunt veſpertina illa officia, quæ ſola olim Sacramentorum celebrationi dicata erant, ut aliæ horæ orationibus ſolis. Primo igitur circa veſperam communio Sacramentorum celebrata eſt iuxta Inſtitutionis formulam, & die tantũ Dominica, & à cœnatis. Prima Eccleſię ętas hunc morem tenuit. Poſtea etiam antelucanis cõventibus celebrari cœpta eſt, nec minus veſpertinis, atque à ieiunis. Poſtremo tota hæc ratio mutata. Sed & ſecundum rationem ſollemnitatum tempus eius celebrandæ variavit. Nam ut ſcribit Valafridus Strabo cap. XXIII. *Interdum ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad veſperam, interdum noctu celebratur.* In tanta varietate quam humana inventio excogitavit, illud per multa ſæcula conſtantiſſime ſervatum eſt, ut omnes fideles, qui intereſſent conventibus ad Euchariſtiam celebrandam fieri ſolitis, commu-

communicarent, exceptis ſolis excom-
municatis ob aliquod peccatũ, ac pœ-
nitentiã agẽtibus publice, vel nondum
idoneis ad cõmunicandũ, ut Catechu-
menis. Inde vox σύναξις, quę cõventum
ſignificat fidelium, pro ipſa ſemper cõ-
munione accipitur apud Gęrcos, ut ex
Dionyſio Pſeudoareopagita ſupra do-
cuimus, quia nimirum omnes qui
convenirent in Eccleſiam, etiam com-
municarent. Nulla itaque Synaxis
tum fuit proprie dicta, ſine myſterio-
rum celebratione, nulla myſteriorum
celebratio ſine omnium qui aderant
communicatione. Epiphanius cum
ſcribit, συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι παχθεῖ-
σαί εἰσιν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τετράδι καὶ σαβ-
βάτῳ καὶ Κυριακῇ, nomine συνάξεων non
alios conventus intellexiſſe deberi
cenſeri, quam quibus Sacramenta cele-
brarentur & communicaretur. Aliud
videtur Petavio, non præter ſoli-
tum & hic nugaci. *Fortean*, inquit,
*Cypri, apud quos iſta ſcripſit Epiphanius,
Romanos aut vicinos ſuos Alexandrinos
imitati, Synaxes nullas Sabbatis inſtitue-
runt, reliquis vero, hoc eſt, quarta ſextave*
 feria,

feria nulla in Synaxibus myſteria celebrarunt. De myſteriis certe mentio nuſquam hic habetur, contra quam Caſaubonus, aliique, temere prodiderunt. Ipſe potius temere ac ſtulte ita pronuntiat. Nam hoc eodem argumento poſſet evinci, nulla in Synaxibus Dominicæ celebrata fuiſſe myſteria, quia nuſquam hic eorum habetur mentio. Dicit Epiphanius Dominica, quarta & ſexta feria συνάξεις ἐπιτελεῖσθαι. Cum de his tribus diebus utatur eodem vocabulo, haud diſpari lege horum dierum συνάξεις fuiſſe oportet. Si σύναξις Dominicæ haud ſine myſteriorum celebratione fuit, nec quartæ aut ſextæ feriæ fuerit. Quo ſenſu uſurparit verbum σύναξις, oſtendit paulo poſt his verbis, ubi dicit, ἐν τισὶ δὲ τόποις, καὶ ἐν τοῖς σάββασι συνάξεις ἐπιτελοῦσι. Hæc enim ſignificant in quibuſdam Eccleſiis Sabbatis myſteria celebrari ſolita. Quem morem habuiſſe pleraſque Orientis Eccleſias, notum eſt, & iam docuimus. Præterea cum Epiphanius dicat, in Eccleſia ſua, id eſt, Cypria, συνάξεις præter Dominicam etiam fieri conſuetas feria ſexta & quar-

quarta, id omnino intelligendum de conventibus in quibus communio dabatur populis. Nam in plerisque aliis Ecclesiis Orientalibus, per dies illos populus communicabat, & Sacramenta fiebant. Basilius in Epistola ad Cæsarium Patricium de ea memorat, cui prçerat, ἡμεῖς δὲ μέντοιγε τὸ τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ τετράδι ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ. Idem mos est qui & apud Cypri Ecclesias observabatur, excepto quod Sabbatis in Basilii Ecclesia etiam fideles cõmunicabant, cum Cyprii id non facerent eo die. Ergo συνάξιν ἐπιτελεῖν Epiphanii, & κοινωνεῖν Basilii idem est. Aliæ fuere Ecclesiæ, quæ mysteria quarta & sexta feria celebrare non solerent, ut Alexandrina. Diebus illis Scriptura sacra recitabatur tãtum & explicabatur: quale munus in ea Ecclesia olim habuit Origenes. Socrates lib. v. cap. XXVIII. Αὖθις δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ λεγομένῃ παρασκευῇ γραφαί τε ἀναγιγνώσκονται, καὶ οἱ διδάσκαλοι ταύτας ἑρμηνεύουσι, πάντα δὲ τὰ συνάξεως γίνεται δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς. *Et omnia in ea illis diebus fiunt quæ*

ad Synaxin pertinent , excepta Sacramentorum celebratione. Duo hic ex istis verbis colligas , & morem hunc peculiarem Alexandrinæ Ecclesiæ fuisse , ut sexta & quarta feria Scriptura tantum sacra legeretur & enarraretur, & quod *Synaxis* integra & proprie sumpta etiam haberet mysteriorũ confectionẽ. Scriptores , qui Latina e Græcis fecerũt , in conscribenda historia Ecclesiastica, ut Liberatus Diaconus, & Miscellæ historiæ auctor , συνάξιν ad verbum verterunt *Collectam* , & similiter de eo intellexerunt conventu qui non carebat communione corporis & sanguinis Dominici. Vnde apud Liberatum, *baptizare & Collectam facere*, id est σύναξιν ποιεῖν, pro Sacramentis operari. Hoc *Collectam agere* in Historia Miscella dicitur. Aliis passim pro eodem ponitur *Missam facere*. Nam *Missa* eadem cũ Collecta vel Synaxi, à missione, ut ante notavimus. Postremo Epiphanius , qui συνάξεις ea notione qua dixi semper posuit, eos conventus in quibus mysteria sacra non agerẽtur, προσευχὰς appellat , non συνάξεις , ubi mentionem

tionē facit προσευχῶν ἑωθινῶν & λυχνικῶν, Precum matutinarum & vespertinarum, in Expositione fidei, canon. XXIII. Sic in Laodiceni Concilii can. XVII. & XVIII. συνάξεις & λειτουργίαι διχῶν discernuntur, his verbis, Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπισυνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμούς. Περὶ τοῦ τὴν αὐτὴν λειτουργίαν τῶν εὐχῶν πάντοτε καὶ ἐν ταῖς ἐνάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις ὀφείλειν γίνεσθαι. *Hoc officium precum* Dionysio ille conventus est fideliū qui nunquam fiebat absque omnium qui intererant cōmunione. Ita Lucas in Actis cap. II. προσευχὴν seiunxit ab ἄρτου κλάσει, & per ἄρτου κλάσιν, intellexit Eucharistiæ celebrationem, ut Syrus interpres accepit. Cum igitur idem Epiphanius de Quadragesima scribit, tota ea quāta est συνάξεις fieri à nona ad vesperam, omnino etiam Sacramenta tum celebrata significat. Non enim σύναξις, ut tum sumebatur, absq; Sacramentorum celebratione. Πάλιν δὲ συνάξεις ἐπιτελοῦσι τὰς αὐτὰς ἐξ, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν, ἀπὸ ἐννάτης ἕως ἑσπέρας. Quia autē Quadragesimale ieiunium vespera tantum finiebatur, ideo Synaxes in ea habe-

habebantur apud Cypri Ecclesias à nona ad vesperam. Sextæ autem ac quartæ feriæ Synaxes hora nona terminabantur. Ideoque paulo maturius incipiebant, atque ut Tertullianus indicat ea hora qua Romani lavabant. Octava ea legitima Martiali, & aliis. Saltem ab octava ad nonam patebant. In aliis Ecclesiis per Quadragesimam nefas fuit Synaxes facere præterquam Dominica & Sabbato, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Sed de his iam supra. Romani quoque, ut Cyprii, Synaxes feria quarta & sexta habebant circa horam nonam, easque *Stationes*, ut antea dictum est, vocabant. Hæc vox de omni ieiunio usurpata est Christianis tunc temporis, & perperam agunt qui reclamant. Ambrosius id diserte testatur Sermone xxv. de ieiunio Quadragesimali: *Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à Diabolica oppugnatione defendunt. Deniq; Stationes sunt & vocantur, quod fratres & communicantes in eos inimicos insidiantes repellant.* Ieiunia autem Quadragesimę ad vesperam tan-

tantum ſolvebantur ut diximus, non ad nonam ut feria quarta & ſexta ſuſcipi ſolita. A caſtrenſibus porro Stationibus ea nomen ſortita ſunt, quia milites quamdiu in ſtatione erant non cibũ capiebant, ſed aliis ſuccedentibus dimittebantur ad corpora curanda. Stationes igitur cum ieiunia omnia ſua inde nominarẽt Chriſtiani, de ferię quartæ & ſextæ ieiunio proprie eas poſtea dici uſus obtinuit. Nõ principalis autẽ, ne quis erret, ieiunandi ratio fecit, ut iis diebus ad nonam uſque à cibo abſtinerent fideles. Non inquam per ſe ieiunium tale conſtitutum eſt, nec ex ſola ac primaria abſtinendi cauſa duobus illis diebus, ſed ex mera perſuaſione conſuetudo hęc invaluit, qua exiſtimarunt, non debere niſi à ieiunis Euchariſtiæ Sacramentum ſumi. Qui videbant per eos dies uſque ad horam nonam impranſos manere fideles, & ieiunium conventu facto & participatis Sacramentes ſolvi, putarunt ſtata illa eſſe feriæ quartæ & ſextæ ieiunia, quæ participatione Euchariſtiæ ea hora facienda ſolverentur. Non ita eſt. Iam docui-

docuimus ex præſcripto Chriſti & traditione quã ab eo acceperãt uſuq; quẽ obſervabant ipſi, Dominicis tantum diebus Apoſtolos circa veſperã ad fractionẽ panis, id eſt, ad Euchariſtiam ſumendã in unũ cõvenire, & una cœnare conſueviſſe cũ fidelibus. Cæteris ſeptimanę diebus, & variis diei horis ad orãdũ coibant, mane, hora tertia, meridie, hora nona, veſpera. De hora nona legitur in Actis cap. III. verſ. I. ubi Petrus & Iohannes in templum aſcendunt ad orandum, hora precibus deſtinata nona. Ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς ἐννάτην. Ad templum ut plurimum Apoſtoli orandi gratia procedebant; ut conſtat ex ipſis Actis cap. II. Euchariſtias autem & panis fractiones circa domos faciebant. Cum igitur hora nona precibus eſſet conſecrata, & dierum præcipue horum duorum in ſeptimana, quartæ & ſextæ feriæ, viſum eſt nonnullis Eccleſiis poſt Apoſtolos, eadem hora quo preces fieri erant ſolitæ, etiam communionem corporis Chriſti celebrare. Aliæ contentæ fuere ſolis precibus, ut vidimus Alexandrinã, ſed in ſola Domi-
nica

nica si communicarent, quædam etiam & Sabbato, sufficere crediderunt, prorsus iuxta traditionem & consuetudinem Apostolorum. Quibus placuit hora illa nona precationi dicata, etiam adiungere ad orationẽ Sacramẽti Eucharistiæ celebrationẽ & participationẽ, cum iidem etiam persuasum haberent, non debere aliter sumi nisi à ieiunis, usque ad horam illius conventus à cibo temperandum esse crediderunt. Sic ieiunia nata feriæ quartæ & sextæ. Eadem ratio fecit, & persuasio, ut traduceretur à vespera Dominicæ ad matutinum tempus eiusdem Eucharistiæ sollemnis celebratio, atque ut cœna converteretur in ientaculum. Cum hac opinione, quod à ieiunis deberet sumi quod inter cœnandum Christus instituit Sacramentum, si die Dominica circa vesperã, ut à Christo factum, sumere voluissent, ad eam horam die etiam Dominico debuissent ieiunare. Quod non conveniebat diei lætitiæ. Ideo ad matutinum tempus, id est, ad principiũ diei à fine traductum est, quo posset à ieiunis celebrari. Et mirari

rari libet, unde ista superstitio incesserit animis hominum sine ratione ulla ac fundamento, contra institutionem ipsius Christi. An sapientiores Christo esse voluerunt? Num si credidisset Christus, corporis sui & sanguinis Sacramentũ indigne à pransis, ac cœnatis sumi, non potuisset ante cœnã id instituere, ut fecit post cœnã vel in cœna? Ante cœnam instituendo cibus profanus superingestus fuisset sancto cibo. Post cœnã vero cum institutũ sit, ut factum à Christo, sacrum pabulũ corporis & sanguinis præsumptæ communi escæ superiectum est. Utrum melius, sanctius, aut dignius tali Sacramẽto? Sane in pari utriusque dignatione, ut non video quid alterum alteri intersit, ego prætulerim quod egit Christus. Si rationibus etiam pugnandum est, ante sumptum Christi corpus in pane, & aliis cibis obrutum, item sanguis eius in vino ante haustus, & inundatus multis superjactis poculis, non honestiore loco mihi videntur fuisse quam super alios omnes pastus & potus immissa. Mirum, qui potuerint animum

animum inducere, dignius fore receptaculum tam sanctorum Sacramentorum pituita ex ieiunio redundante refertum stomachum, quam modico alimento sobrie & honeste refectum. Etenim cum statim post sumptam Eucharistiam interdũ cœnarẽt aut pranderent, miscebatur tum uterque panis, sacratus & profanus. Nec hilum proderat ieiunos eum qui fuerat sanctificatus accepisse, cum protinus ab eo percepto ad alium superinducendum properarent. Sane illi, qui in prisca Ecclesia voluntarii & votivi ieiunii causa non communicabant in ipsa actione, sed acceptum panem & calicem reservabant, ut domi sumerent ubi ieiunii solvendi venisset hora, post Sacramenta ore accepta & in ventriculum demissa nulla ferme interposita mora cœnabant. Innatans igitur stomacho Sacramenti vinum, an alio vino innatante demersum, utrũ pro dignitate & sanctitate tanti mysterii magis videtur? Quasi non utrovis modo æque confunderetur utrumque. Vide superstitio quid faciat, & quam ipsa secum

ſit diſcors, parumque adeo ſibi conſtet. In Baptiſmo ab eo die quo quis lotus eſſet aqua ſalutari, non aliam tota illa hebdomada uſurpabat in quotidianis balneis. Ne nimirum lavacrum commune impediret effectum divini lavacri. *Ex ea die*, inquit Tertullianus in libro de Corona militis, *lavatro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus.* Cur non ſimiliter poſt Euchariſtiæ Sacramentum per aliquot horas vel dies à cibo alio abſtinuerūt? Ita ſane oportuit, ut res ſimilis eſſet illi conſuetudini quā poſt lavacrum ſacrum obſervabant: Si enim ex eorum opinione aqua communis balnei potuit impedire operationem ſpiritalis ac divinę gratiæ quam conferebat Baptiſmus, atque ideo ſedulo cavebāt ne aliquot dierum ſpatio aliam aquam corpori infunderent, etiam credere debuerunt aut potuerunt, eſcam communem ſi ſtatim superingereretur cibo illi cœleſti, interpellaturam Spiritus ſancti efficaciam in Euchariſtia. Ne veſtimēta quidem poſt eam ſacram lotionem protinus indui oportuit, ne aquam ſacram eluerent, & de-

& delerent de corpore. Enimvero ut Christus de Sacramẽtis corporis & sanguinis sui affirmat, *Spiritũ esse qui vivificet, carnẽ non prodesse quidquam*, ita in Baptismi Sacramento aqua nihil iuvat, sed Spiritus præsentia qui in aqua est vivificat. Ita quantum ad virtutem & ἐνέργειαν Spiritus attinet in utroque Sacramento, nec alia aqua post sacram corpori infusa, nec alius potus stomacho iniectus post sanctificatum impedire quiverit ne operetur gratia Spiritalis. Sane nec augere nec minuere eam possunt. Multo minus ante sumptus sobrie cibus obstare queat efficaciæ Sacramenti corporis, quandoquidem ita illud institutum à Christo liquet. Tutius autẽ est, in dubiis stare institutioni divinæ, nec latum unguem ab ea discedere, quam humanis adinventionibus eam interpolare. Pleræque ideo traditionũ eiusmodi, quas temere receperat antiqua Ecclesia, ex vana superstitione inductas, cum tempore evanuerunt. Sed alia non minor seges profanorũ rituum in Ecclesia Romana pullulavit, ac longe etiã magis perniciosorum

rum, quos non ita facile sit abolere. Verum ut è diverticulo in viam redeamus, *σύναξις* ut Græcis non pro quolibet conventu proprie sumitur, sed pro eo qui fit ad Eucharistiæ celebrandum Sacramentum & participandum ab omnibus fidelibus qui ad Ecclesiam conveniunt, ita etiam Latini canones vocem *conventus* acceperunt. In Concilio Sardicensi can. XI. ita scriptum est: *Memini autem, superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur.* Cum de diei Dominici conventu ibi agatur, quo celebrati omnino solita Sacramenta, non de simplici hic canon intelligendus est Laicorum præsentia, quam conventui possent commodare, soli auditioni vacantes, citra communionem, sed de ipsa communione. Sic enim veteres interpretantur. Valafridus Strabo, cap. XX. *Apud Græcos quoque illi qui duas Dominicas vel tres sine communione trãsierint, excommunicati dicuntur.* Ita *conventum*

ventum celebrare in illo canone Sardicensi idem est quod communicare vel communionem accipere, quia σύναξις Grecis etiam κοινωνία est, ut ex Dionysio Pseudareopagita supra ostendimus. In Græco legitur συνέρχεσθαι pro Latino *conventum eelebrare*. Et canon est xi. Græcus, ita conceptus, εἴτις λαικὸς ἐν πόλει διάγων τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδομάσι μὴ συνέρχοιτο, ἀποκινοῖτο τῆς κοινωνίας. Nec Græca ex Latinis facta, nec Latina ex Græcis, sed utrūq; esse authenticū, ac prototypū hęc declarāt. Ibi συνέρχεσθαι idē est quod Latine *conventum celebrare*, vel σύναξιν ἐπιτελεῖν, nō simpliciter convenire & accedere ad Ecclesiam, sed ad participanda Sacramenta eam adirę. Et verbum est Apostoli eodem sensu in Epistola priore ad Corinthios, cap. xi. vers. xx. συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὐκ ἔστι Κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Hac notione συνέλευσιν ποιεῖσθαι usurpavit Iustinus in Apologia secūda de conventibus diei Dominicæ ad cōmunicandum Eucharistiæ fieri solitis. Hinc & συνέλευσις pro communione in canone Sardicensi Græco xii. de

Episcopo, cui permissum fuerit ad possessiones quas extra territorium civitatis suæ habet accedere, ibique aliquanto tempore diversari ad res suas disponendas, & fructus ex agris percipiendos, si post tres hebdomadas sive Dominicas ibi morari necesse habeat, iubetur is ad proximæ civitatis conventum se conferre, ὑπὲρ τοῦ μὴ χωρὶς συνελεύσεως αὐτὸν δοκεῖν εἶναι, id est, ut recte interpretantur, *ne à communicatione alienus videatur*. In Latino est XVI. *Aut si qua est proxima civitas in qua est Presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicam, illuc accedat.* Vbi *facere Dominicam* positum est pro trãsigere, ut *facere tempus*. At *Ecclesia* ibi pro conventu ipso accipitur, qui in Græco dicitur συνέλευσις. Inde ἐκκλησιάζειν Græcis idem quod συνάγειν. Sic *tenere Ecclesiam* in Concilio Emeritensi, & in Epistola Hieronymi ad Iohannem Hierosolymitanum, idem quod *tenere Missam*, ut aliis dicitur. De quo nos supra. Illum autẽ canonẽ Sardicensem, in quo Episcopus ille iubetur ad proximam suis agris Ecclesiam accedere, ne

unum

unum diem Dominicum transigat sine Ecclesia vel conventu, non de communione simplici reor accipiendum, sed de ipsa celebratione Synaxis, quam tenere etiã dicitur, non qui interest aut presens est dũ agitur, sed qui celebrãde præest. Atque ita plane intelligi debere Græcus canon ostendit, dum ita scribit, καὶ ἐν ἀγχιστευούσῃ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ πρεσβύτερος συνάγοι, ὑφ' οὗ μὴ χωρὶς συνελεύσεως δοκεῖν εἶναι, συνέρχεσθαι καὶ λειτουργεῖν. Quæ verba Græci Scholiastæ Balsamon & Zonaras docent accipienda non de Eucharistiæ oblatione & celebratione, sed de precum Liturgia. Et hac ratione nituntur, quia sacra facere Episcopo aut aliquo munere Ecclesiastico fungi in aliena civitate non liceret absque permissu Episcopi loci. De sui temporis moribus sic illi interpretantur. Maior inter Episcopos tempore Synodi Sardicensis fuit libertas. De rurali Ecclesia, sive Parœcia, ibi sermo est cui præsidebat presbyter. Ad eam accedens alienus Episcopus ex vicinis suis agris, conficere in ea sacramenta debuit pro iure maioris di-

gnitatis, & *Ecclesiam tenere*. Sic enim intelligendi Concilii Patres. Aliter accedit vel procedit ad Ecclesiam Episcopus, aliter Laicus. Episcopus non alias συνέρχεται, nisi præses conventus futurus, communionem fidelibus daturus, & ipse cum iis percepturus. Laicus autem nunquam accedebat tunc ad Ecclesiam, nisi communicandi gratia. Ergo συνέλευσις & συνέρχεσθαι in Sardicensi Concilio tam de Episcopi quam de Laici cõmunicatione dicitur, sed Episcopus qui præsidet cõventui, accipit eam simul & dat. Dionysius de Episcopo officiũ sive Missam faciente: εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται καὶ ἄλλους προτρέπεται, μετασχὼν δὲ καὶ μεταδοὺς τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας. *Procedere ad Ecclesiam* pro eodem dixere, tam de Episcopis quam de Laicis, & de utrisque ad effectum communionis dandæ & accipiendæ. Vnde *Processio* in vetustissima versione Canonis Laodiceni redditur quę in Gręco est σύναξις. Apud Ambrosium in Sermonibus *ad Ecclesiã procedere*, ut apud Cassianum & apud Sulpicium aliosque, est

συνέρ-

συνέρχεσθαι & συνέλευσιν ποιεῖν. Quod συνάγεσθαι dę Laico dicitur ad communicandum conveniente, συνάγειν de Presbytero vel Episcopo qui Ecclesiam tenet, & communioné celebrat atq; administrat. Nec Laicis igitur fidelibus nec Clericis licuit per tres Dominicas abesse ab Ecclesia, quia sine cōmunione esse omni nefas fideli fuit per trium hebdomadarum spatium. Non accessus per se ad Ecclesiam ab his exactus fuit, sed communio desiderata. Cuius rei fidem abunde pręstat, quod illi ipsi qui adessent singulis Dominicis, nisi etiam communicarent, non impune habuerunt, qua Clerici qua Laici. Canon octavus Apóstolorum Presbyteros & Diaconos aliosque Clericos oblatione facta non participantes arcet à cōmunione tāquā offensionis populo auctores. Sequens Canon Laicos similiter fideles Ecclesiam ingressos, & audientes scripturā, nisi perstiterint in oratione & communicatione, tanquam ordinis ac disciplinæ turbatores communione privat. Πάντας δὲ τοὺς εἰσιόντας πιστούς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ

 τῇ προσ-

τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας, τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή. Pone, non eſſe Apoſtolorum iſtos canones, quanquam eſſe vetuſtos nemo queat diffiteri, & Grotius quoſdam ex his eſſe Apoſtolicos Salmaſio aſſentiatur, certe Antiochenus Canon ſecundus idem prorſus ſtatuit adverſus fideles omnes, nempe tam Laicos quam Clericos, ut qui ingredientes Eccleſiam, & Scripturas audientes commucatione orationis, & communione ſacramentorum una cum reliquis non participant, ab Eccleſia extorres fiant, donec & exomologeſin publice fecerint, & fructus pœnitentiæ dignos ediderint, ut veniam conſequi poſſint. Ita in Græcis vetuſtis exemplaribus legitur: Πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῆς τελευταίας εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν ἁγίαν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους εἶναι τῆς ἐκκλησίας ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι ὑπὸ κανόνα ἔλθωσι, καὶ δείξαντες καρποὺς μετανοίας, καὶ παρακαλεσάμενοι τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης. Verba illa τῆς

τελευ-

τελευταίας non habentur in editis. Per τελευταίαν εὐχὴν, ſive ultimam orationem, intelligit Canon eam quæ fiebat poſt communionem peractam. De qua dicit Valafridus, *Eſſe legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem quæ dicitur ad complendũ. Quia eius petitio eſt pro eis qui communicant.* Volunt igitur Antiocheni Patres, omnẽ fidelẽ qui ad Eccleſiã accedit Clericũ Laicũve, uſq; ad illam ultimam orationẽ permanere in conventu, & Euchariſtiæ cõmunicatione. Eam regulã ita reddidit Dionyſius Exiguus, *Omnes qui Eccleſiam ingrediuntur Dei, & Scripturas ſacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, ſed pro quadam intemperantia ſe à perceptione ſanctæ communionis avertunt, hi de Eccleſia removeantur, quandiu per confeſſionem pænitentiæ fructus oſtendant, & precibus indulgentiam conſequantur.* Tametſi vocem eam τελευτείας non agnoſcat, de illa ipſa tamen ultima oratione quæ poſt communionem factam fiebat, intelligendum. Nihil tamen prohibet & de illis orationibus fidelium ac-

cipi,

cipi, quæ cõſecrationi panis præmittebãtur in cõmunione. Prius puto melius. Sed & ne quis fideliũ digrederetur ab Eccleſia ante perceptam communionẽ, cum oblatio fieret, Diaconi ſtabant ad ianuã virorũ, & Sub-diaconi ad ianuas mulierum, qui eas aperiri prohibebant. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VIII. cap. XI. *οἱ δὲ διάκονοι ἱστάσθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας, καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν, ὅπως μήτις ἐξέλθῃ, μήτε ἀνοιχθῇ ἡ θύρα, κἂν πιστός τις ᾖ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς.* Hæc cum adeo certa ſint & explorata, quis non miretur, Petavium ita notare in Animadverſionibus ad Expoſitionem fidei Epiphanii pag. CCCLIII. *Quibus,* inquit, *ſubductis omnibus, liquet vetuſtiſſimos etiam Chriſtianos in Synaxibus ſuis non perpetuo communicaſſe, publice ſaltem ac legitime. Nec interim negamus, privatim domi vel extra Synaxin communicare aliquos potuiſſe cum Euchariſtiam quam à Sacerdote ſemel acceperant, reliquis in dies diſpenſare ſolerent.* Si quis eas ſubductas rationes ibi legerit, nullam reperiat vel exiguã ratiunculã, unde id colli-

colligi possit. Omnia æra perversa & turbata, ac summa inde subducta improbe apparebit. An hominis est vero negare, antiquissimos Christianos legitime & publice in suis Synaxibus communicasse? Aut inscitia hęc est infra omnes homines imperitos, aut perversitas supra omnes sceleratos. Solet ille sæpe, quanquam & extreme imperitus est, aliter sentire quam scribit, fallaciæ magister, non veritatis. Hic ille tamen est *eximius vir* quem inter eos eruditos recenset Grotius, *quorum consilia audire necessarium sit pacem Ecclesiasticam cupienti, utpote, quibus & præsens Ecclesiæ Status, & antiquior historia percognita sint.* De præsente Ecclesiæ statu quin sit iis cognitissimus, non dubito. De antiquiore historia quam verum videri queat, hic unus Iesuita fidem facit, affirmans vetustissimos Christianos non communicasse in Synaxibus suis, saltem publice ac legitime. Quid ergo? Nec publice nimirum nec legitime communicabant, sed privatim tantum intra domos suas extra Synaxim, & non legitime, ac-

me,accepto in Ecclesia & reservato sacramento: Ne communicasse quidem domi suæ hos ait, sed communicare potuisse. Non possum nunc in eum dicere quæ meretur prodigiosus eius stupor, aut stupenda contra adeo manifestam veritatem improbe nitentis pervicacia. Dictum supra, quinam acceptum in Ecclesia Sacramentum reservarēt,ut apud se privatim cōmunicarent,& qua de causa id facerent. Nulla est antiquior aut recentior Liturgia; genuina aut supposita, Græca aut Aegyptiaca,quin habeat populū Sacerdoti Missam tenenti respondentem, eundem communicantem,& orationes pro communicantibus. Relegantur Iacobi, Clementis,Basilii, Chrysostomi, Cyrilli, Gregorii apud Aegyptios Liturgiæ, quæ partim veræ sunt, partim falsæ; communionis fidelium omnium iis intervenientium vestigia expressa in omnibus reperientur. Qui de Liturgiis scripserunt, aut de ordine Missæ vel Synaxeos, Græci Latinique, veteres & novi, Cyrillus,Dionysius Pseudareopagita, Clemens, Isidorus,
Ama-

Amalanus, Rabanus Maurus, Valafridus Strabo, nullam Synaxin aut Missam narrant sine communicantibus. Totæ propter communicantes, & communionis omnium fidelium gratia conscriptæ & comparatæ sunt. Clemens, sive quisquis est auctor Constitutionum Apostolicarum sub illo nomine, quo ordine cleri & plebs in Synaxibus communicare soliti fuerint, commemorat lib. VIII. cap. XIII. καὶ μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι καὶ ὑποδιάκονοι, καὶ ἀναγνῶσται, οἱ ψάλται, καὶ οἱ ἀσκηταί, καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶ αἱ διάκονοι, καὶ αἱ παρθένοι καὶ αἱ χῆραι, εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, ἄνευ θορύβου. In vetusto centone ex Virgilianis versibus composito ab incerto auctore ætate Iustiniani quod inscribitur *Ecclesia*, plebs omnis in ea communicans inducitur. Quid pluribus opus est, cum res sit notissima ac testatissima ac sole ipso clarior? Si veteres non cõmunicabãt publice, nec legitime in Synaxibus suis, ut vult *Eximius* Grotii Petavius, quo pertinebat illa *communio*,

sive

ſive κοινωνία, qua privabantur fideles ob peccatum, & quam recuperabant beneficio pœnitentiæ? Vbi dabatur & accipiebatur aut etiam negabatur ea communio, ſi non in Synaxi id fiebat? Cuius autem res ea fuit communio, ſi Euchariſtiæ non fuit? Quæ differentia erat Pœnitentium quarti gradus à reliquo fidelium grege qui orationis cōmunioēn cum iis habuere; ſi nulla tum fuit perfectior communio, ad quam fideles admittebantur, & à qua excludebantur illi Pœnitentes? Cum accingebat ſe Sacerdos ad conſecrationem ſacramentorū faciendā, & denuntiabat τοῖς ἀκοινωνήτοις περιελθεῖν, id eſt, exire; quid plus habebant illi qui remanebāt & quibus ius erat communionis? An videbant tantū & audiebant id quod agebatur? Cur igitur abſentibus propter valetudinē mittebatur Euchariſtia? An veriſimile eſt, præſentes non communicaſſe, cum ad abſentes & ægrotos qui modo excommunicati non eſſent ſoleret mitti? Omnes autem qui ſanctorum myſteriorum celebrationi intereſſent communicare olim coactos, ex Pa-

ex Patrum ſcriptis notat Micrologus de Eccleſiaſticis obſervationibus, dum ſcribit, quod ſoli communicantes ſacris myſteriis intereſſe conſueverint. Ita ille cap. LI. *Sciendum eſt autem*, inquit, *iuxta antiquos Patres, quod ſoli communicantes divinis myſteriis intereſſe conſueverint. Vnde & ante oblationē iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & Pœnitentes. Videlicet quia nondum ſe paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipſa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro ſua oblatione & communicatione, ſed & aliorum rogat, & maxime in oratione poſt communionem pro ſolis communicantibus orare videtur.* Per quinque & amplius ſæcula nemo fuit fidelium cui ius eſſet communionis, qui non in omnibus conventibus quibus intererat cōmunicaret corpori & ſanguini Dominico. Per quattuor ferme ſæcula corrupta Eccleſiæ diſciplina ita nonnullis licitum fuit non communicantibus intereſſe celebrationi myſteriorum, ut tamen nuſquam Sacramenta celebrarentur ſine communicantibus. Circa ſæculum

demũ nonũ, cœptæ Missæ fieri à solis Sacerdotibus, quę nullos haberent cõmunicantes, ut indicat Valafridus Strabo, cap. XXII. Quæ tamen non fuere tum admodum frequentes, & manebat opinio penes plures, & id fatendum ait idem Strabo, *illam esse legitimam Missam, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Ergo illa illegitima in qua Sacerdotes soli Missas celebrant. Per triũ quattuorve deinde fere sæculorum spatium hic mos duravit, quo partim Missæ cum communicantibus, partim sine his à solo Sacerdote conficerentur, donec Innocentii tertii ætate circa annum Christi millesimum & ducentesimum decimum quintum stabilita per eum Papã & prorsus confirmata doctrina de Trãssubstantiatione, qui & ademptũ plebi calicẽ voluit, non potuit amplius populus communicare cum Sacerdote, communione utriusque in tantum disiuncta, ut hic sub utraque specie, ille tantum sub una haberet communicandum. Ab eo tempore

pore paſſim introduci cœptę ſunt ſolitariæ ſingulorũ communiones ex ante cõſecratis, ſublata fideliũ inter ſe cõmunione, ſine qua nec ea recte procedit quã habent cum Chriſto in horum perceptione Sacramentorũ. Diviſi & ipſi fideles Laici ab Eccleſiaſticis, ac diverſa utrorumque inſtituta communio, cum olim eadem eſſet, & ſimul fideles Laici cum Eccleſiaſticis communicarent, quod obtinuit per duodecim & amplius ſæcula. Tempore Iuſtini & Tertulliani nullam legimus fuiſſe diſtinctionem utriuſque ordinis Laici & Eccleſiaſtici in cõmunione percipiẽda. Offerebatur panis præſidẽti cœtus, qui ei benedicebat, & benedictum populo dividebatur. Omnes ab eius manu tam panem quam poculum accipiebant. Non negaverim tamen, ſemper, quod veriſimile eſt, primos acceſſiſſe ad communicandum qui erant ordinis Eccleſiaſtici; tum populo datam fuiſſe communionem, ſed ad eandem Menſam. Poſtea loco diſcretus ordo Eccleſiaſticus & Laicus communionem accepit. Nam miniſtri altaris ad ipſum

 altare;

altare, hoc est, ad ipsam mensam soliti erant accipere soli, populus vero non ibidem communicabat. In Concilio Laodiceno can. XIX. sancitur, *μόνον ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν*. Hoc est, ut vertit Dionysius Exiguus, *Solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi & communicare ibidem liceat*. Inde *Laicæ* & *Ecclesiasticæ* communionis sive Sacerdotalis receptum est discrimen, cuius nec vola nec vestigium fuit per tria priora Ecclesiæ sæcula. Ipse auctor Constitutionum Apostolicarum, ubi exponit quo ordine fideles omnes Eucharistiam acceperint, loco paulo ante citato, memorat quidem, Episcopum primum sumpsisse ipsam communionem, nẽpe illum qui benedixerat ac confecerat Sacramẽta, deinde Presbyteros, postea Diaconos, & alios ordinis Ecclesiastici, postremo populum, sed non meminit ullius loci distinctionis, ut alibi plebs, alibi ordo communione impertiti fuerint. Episcopus in eodem loco omnibus indiscrete porrigit eadem manu, & de eodem pane. Diaconus autem pocu-

poculum iisdem dabat. Vbi admissa est illa differentia Laicæ & Ecclesiasticæ cõmunionis, solius loci ratione discretã eam fuisse constat ex eo canone Laodiceno, quidquid contra argutetur Episcopus Aurelianensis, alibi refellendus. Intra septa altaris quibus populus discludebatur, Ecclesiastici communicabant, extra illos cancellos populus. Apud Cyrillum circumstant altare Presbyteri, cum Cœna Dominica celebranda est. Nam Diaconus dat aquam manualem Episcopo, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ πρεσβυτέροις. Ibi igitur & communionem accipiebant, quę inde *Ecclesiastica* & *Sacerdotalis* appellata est. *Laica* vero quam Laici inter ordinis sui homines accipiebant, non intra θυσιαστήριον, ut primi, sed extra. Hæc discrimina, ut apparet, non fuere, cum ad mensam omnes eandem communicabant, quæ in medio ponebatur, quęq; inferri poterat & auferri, & ad quã omnibus patebat accessus. Vbi vero altaria extructa sunt, ac templa ad eam formam ædificata qua gentilium fana, tum interior pars templi in qua

altare positum est, à reliquo templo cancellis & septis instar sanctuarii & adyti dissepta populum exclusit, & solis patuit Sacerdotibus. Hinc canon Laodicenus vetat mulieres ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσιέναι. Vbi altaria igitur pro mensis facta sunt, ea demum nata distinctio communionis Laicorum & Sacerdotum, quæ solo loco discernebatur, non alia re, ut perperam imaginantur. Vt primi autem communicabant cum Episcopo Presbyteri, ita & primi sibi dabant osculum pacis ante communionem, post hos & Laici eam sibi tribuebant. Idem canon Laodicenus: καὶ μετὰ τὸ πρεσβυτέρους δοῦναι τὴν εἰρήνην, τότε τοὺς λαϊκοὺς τὴν εἰρήνην διδόναι, καὶ οὕτω τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι. *Et ita demum pacem sibi invicem dabant. Et posteaquam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc Laici sibi tribuent. Et ita sancta celebrabitur oblatio*. Hodie cum nulla sit in hoc Sacramento participando fidelium Laicorum inter se communio, nec populi cum presbyteris ius communionis, merito etiam subla-

ſublata eſt illa Pacis datio, & ἀσπασμός. Pro ea ſubſtituerunt mimicam ac ridiculam ceremoniam, eamque Clero quæſtuoſam. Patina eſt, quam *Pacem* appellant. Subdiaconus dat eam oſculandam accedentibus Laicis, & qui oſculatur, tributum pendit. Voluntaria quidem hæc collatio, ſed qui plus tribuit, eo acceptior eſt. Merito ſane Reformatos incuſant quod *Cœnam* vocent huius Sacramenti communionem. Cum ipſi nullam in hoc Sacramento participando communionem agnoſcant, non debent nomine tam improprio vocare id quod agunt. At veteres omnes ita vocarunt cũ vere Cœna eſſet, id eſt, cum à pluribus ſimul fidelibus ex eodem pane participantibus & ex eodem poculo haurientibus hoc ſacrum convivium celebraretur. Auguſtinus, ne alios teſtes adducam, lib. II. de ſermone Domini in monte: *De Sacramento autem corporis Domini, ut illi non moveant quæſtionem, qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ Dominicæ communicant, cum iſte panis quotidianus*

dictus sit. Auctor medii ævi, qui sub nomine Cypriani tractatum de hoc Sacramento Eucharistiæ inscripsit, ita de communione omnium in ea fidelium verissime scripsit, tam Sacerdotum quam Laicorum. *Nec solos Sacerdotes ad panis huius ius dignitatis Leviticæ prærogativa admittit. Universa Ecclesia ad has epulas invitatur. Aequa omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratus, incorporatus non iniuriatur.* Ita locus ille legendus est. Cœna non est, quam unus participat aut celebrat. Debet esse commune quod sic vocatur. Hoc enim discipulis instituit Dominus, & exemplum ea institutione dedit quod Christiani omnes sequerētur. Ita suum Pascha Iudæi celebrarūt. *Cœnā* proprie vocarunt Romani plurium simul cōvivantiū epulū. Soli ut plurimū prandebant, ad cœnā suos invitabant. Plutarchus: *τὰ δεῖπνά φασι* Κοῖνα *διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι· καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι* Ῥωμαῖοι, *συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. Cœnam aiunt à communione dictam, quia soli prandere soliti essent Romani, cum ami-*

amicis autem cœnare. Hæc cœna autem Domini etiam κοινωνία & *communio* proprie appellata est, ut ante dixi, non tam propter communionem singulorum communicantium his Sacramẽtis cum Christo, quamvis & hoc quoque, quam propter singulorum inter se communionem & ἀγάπην. Vnde & ἀγάπη quoque nuncupata est. Et *pacis osculum*, quod sibi invicem tribuebãt antequam ad cõmunionẽ accederẽt, ἀγάπης φίλημα. Hinc & in Liturgiis dicebatur, ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους. Recte tã de cõmunionis fidelium inter se effectu & affectu mutuo in hoc Sacramẽto consociatorũ, quã de ea qua singuli cũ Christo ipso uniũtur, ita scripsit Auctor de Cœna: *Sed nos ipsi, corpus eius effecti, Sacramẽto ac re Sacramẽti capiti nostro cõnectimur & unimur, singuli alter alterius mẽbra, ministerium dilectionis per invicẽ exhibentes, communicamus caritate, participamus sollicitudine, eundem cibum manducantes, & eandem potum bibentes, qui de petra Spirituali profluit & emanat, qui cibus ac potus est Dominus noster Christus.* Præclare quoque de ea

communione fidelium ſimul communicantium huic Sacramento ſublimis auctor ſed inſignis impoſtor dixit in tractatu de Euchariſtiæ celebratione. τὸ δ' ἑνιαῖον αὐτῶν εἰς πολλὰ διαιρῶν, καὶ τῇ τῶν διανεμομένων πρὸς τὰ ἐν οἷς γίνεται κατ' ἄκρον ἑνώσει, κοινωνοὺς αὐτοὺς ἀποτελῶν τοὺς μετέχοντας. *Epiſcopum*, inquit, *unitatem in multas minutias eorum donorum dividentẽ, & perfecta eorũ quæ ea diſtribuuntur in eandem unitatem coniunctione, ſocios & eiuſdem communionis participes reddere, qui iis communicant.* Vetuſtiſſimus auctor Ignatianarum Epiſtolarum ad Philadelphenſes ſcribens, eos adhoratur ut ſchiſmata & diſſenſiones fugiant, utque ſtudeant una Euchariſtia uti, id eſt, ita ſe parẽt concordia & dilectione mutua, ut poſſint communicare eidem Sacramento. Σπουδάζετε οὖν, inquit, μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἓν θυσιαστήριον. *Studete igitur uno Euchariſtiæ Sacramẽto uti. Vna quippe Chriſti Domini noſtri Ieſu Caro eſt, & unus calix in unionem ſanguinis eius.* Dicere vult, non poſſe

eos

eos unionē habere cum Christo in participandis Sacramentis corporis & sanguinis eius, nisi communionem inter se habeant, per concordiam & amorem mutuum, quo queant Eucharistiæ eidem communicare. Quotiescunque autem id Sacramentum in conventibus publicis celebraretur, adeo neminem voluerunt illius communionis esse exortē, ut etiā ad absentes qui per valetudinē cœtui interesse non possent, per Diaconos mitterēt, ut ex Iustino & aliis liquet. Ubi cœna est, ubi cōmune convivium, ubi cōmunio in Missa hodierna Pontificiorum? Nusquam est. Nam ut ait Micrologus in libro de Ecclesiasticis observationibus cap. LI. *Non proprie dici communio potest, nisi plures de eodem sacrificio participent.* Scena est plane, non cœna Dominici corporis & sanguinis id quod agitur. Sacerdos ad altare assistit, theatrali veste magnifice indutus. Post multas gesticulationes manuum, multas corporis gyrationes, tandē crustulum manibus supra caput elatis elevatum à populo aversus ostendit. Audiunt qui adsunt quod non intel-

intelligunt, vident quę non percipiunt, adorant quod nesciunt. Nemo ex eo sacro pabulo domum quidquã secũ refert nisi quod in oculis gerit. Omnia enim ibi ad ostensionẽ tantũ cõparata, nihil ad esum, ad usum & fructũ, nihil ad solatiũ cõscientiarũ. Dicunt se Missam audisse. Inde exeunt *corde sicci*, ut ait auctor de Cœna, & *mente aridi*. Ita de sanctissimo Dominici corporis & sanguinis sacramento mimũ fecerunt, & de altari theatrũ, id quod esse debuit convivii Dominici mensa, exstruxerunt. Parũ hoc esset, nisi etiã in meram miramq; idololatriam convertissent totũ illud sacrũ officiũ. Adeo autem ab imaginaria sua εἰδωλομανίᾳ ne in eo quidem pane quo Christi corpus repræsentatur, recesserunt, ut figuram Servatoris sub alia atque alia specie in illo crustulo quod pro Eucharistia dãt, impresserint. Quasi scilicet de proximo sic fieret facilior conversio ex simili imagine in vivum corpus Christi, quam de frusto panis è pane integro defracto, & in communionem dato, atque in tantum formæ corporis dissimili,

mili. Simul etiam populo fucum facere voluerunt, ut imaginem Christi accipiendo citius putaret se ipsum Christum revera accipere. Ita quum simulacrum alicuius Divi intuẽtur, credunt se Sanctũ ipsum contẽplari. Sed priusquam ad alia pergamus, de *Oblationibus* etiam privatorũ aliquid dicẽdũ. Nã & ab his magna intervenit mutatio & adulteratio depravatioq; huius Sacramẽti in eam profanationẽ, quam nunc videmus obtinere. Primis Ecclesiæ temporibus nulla panis aut vini aut cuiuscunque alterius speciei à fidelibus fiebat oblatio ex qua Sacramenta corporis & sanguinis Dominici conficerentur. Duobus quippe prioribus sæculis nulla earum oblationum mentio extat in scriptis auctorum qui tum vixere. Meminerunt illi, ut Iustinus & Tertullianus, collationis, quam Synaxi dimissa unusquisque fidelium faceret in aream communem. Dites præcipue, & quibus id volentibus erat, conferebãt stipem quam volebant. *οἱ εὐποροῦντές δὲ*, inquit Iustinus, *καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται*

ται δίδωσι. καὶ τὸ συλλεγόμενα παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται. *Et quod collectum est deponitur apud præsidentem.* Is erat primus Presbyterii, sive primus Presbyter, ὁ προεστώς. Nam & Tertullianus de politia tunc temporis Ecclesiastica dixit; *Præsident*, conventui, *probati quoque seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti; neque enim pretio ullo res Dei constat.* Inter illos seniores qui ętate, & ordine antiquior, etiam prior fuit. Atque is est quem προεστῶτα appellat Iustinus. Is servabat *deposita illa pietatis*, ut vocat idẽ Tertullianus, cui & arca eis recipiendis cõmunis nominatur. *Etiã, si quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur; modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nã nemo compellitur, sed sponte confert.* Omnia collegia licita arcã habuere cõmunem, in quã conferebant pecuniã menstrua die, ut notũ est. Christiani illius temporis in urbibus in quibus degebãt, quasi quandã ἑταιρείαν cõstituebant. Ideo & ad exemplum sodalicio-

daliciorũ corporũ arcã quoq; habuere ſuã ſingulæ Eccleſiæ. Quos in uſus converteretur collecta ſingulis Dominicis ſumma ut ait Iuſtinus, vel menſtrua die ut dicit Tertullianus, uterque memorant. Nempe ad egenos alendos, captivos redimendos, viduas pauperes ſuſtentandum, virgines locandas, hoſpites excipiendos. Ex illa etiam pecunia, ut videtur, panis & vinum emebatur ex quibus Euchariſtia conficiebatur. Certe aliarum oblationum quæ tunc à privatis fierent in altari ponendæ & benedicendæ, quæque in compendium cederent Sacerdotum, nullum per illa tempora veſtigium. Nulla ſaltem occurrit mentio apud auctores qui tum ſcripſere. Iuſtinus qui antiquior eſt, ſimpliciter dicit, panem oblatum fuiſſe præſidenti conventus ut eum benediceret, & ſimiliter vinum. Παυσαμένων ἡμῶν, inquit, τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ, καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας ἀναπέμπει. *Vbi precari deſtitimus, panis & vinum cum aqua offertur.* Nam paulo ante ita id expreſſit, ἔπειτα προσφέρεται

τῷ

τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν αἶνον καὶ δόξαν, & quæ ſequuntur. *Poſt hæc panis & vinum cum aqua offertur ei qui fratribus præeſt.* Nihil iſta oblatio panis & vini commune habet cum oblationibus ſequentium temporum. Simpliciter vult, panem & vinum quorum uſus fuit ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum, porrecta fuiſſe cœtus præpoſito, ut ea benediceret ac divideret populo. Vbi ſuperſtitio male feriatorum hominum ex Iudaica θρησκείᾳ altaria, Sacerdotes, Levitas, azyma ſacrificia, hoſtias, mutuata eſt, indidem etiam ſumſit & *oblationes*. Eæ proprie fuere καρποφορίαι & decimæ fructuũ in iis quæ uſu conſumerẽtur conſiſtentes. Pſeudo-Clemens Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VII. cap. XXX. ita eas complexus eſt: πᾶσαν ἀπαρχὴν ἄρτων, θερμῶν, κεραμίου οἴνου, ἢ ἐλαίου, ἢ μέλιτος, ἢ ἀκροδρύων, σταφυλῆς, ἢ τῶν ἄλλων τὴν ἀπαρχὴν δώσεις τοῖς ἱερεῦσιν. In Synodo Gangrenſi καρποφορίαι ἐκκλησιαστικαὶ dicuntur can. VII. quas *oblationes Eccleſiæ.* Latine reddidit Dionyſius Exiguus:

Illæ

Illæ proprie erant primitiæ ac decimæ fructuum, quæ etiam προσφοραὶ appellabantur teste eodem Pseudo-Clemente lib. II. cap. XXVI. αἱ τότε ἀπαρχαὶ, καὶ δεκάται, καὶ ἀφαιρέματα, καὶ δῶρα, νῦν προσφοραὶ, αἱ διὰ τῶν νῦν ἐπισκόπων προσφερόμεναι τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Hæ proprie ergo *oblationes* dictę quia ad altare offerebantur benedicendæ, & quas cessisse dicit Sacerdotibus. Quæ vero alia dona & munera in pecunia numerata cõsistebant, & in quacunque possessione mobili, ut & quæ ad vestitum pertinerent, omnia ea viduæ & pupillo tribuenda esse. Arca igitur pecuniæ mansit, sed oblationes superinductæ sunt. Huius arcæ meminit Damasus in vita Stephani: *Omnia vasa Ecclesiæ Archidiacono suo Xysto in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ.* Id est, & arcam pecuniæ. Quibus placuit in omnibus Iudaici moris imitatio, *corbanam* & *gazophylacium* pro arca nominarunt, ut Cyprianus in libro de opere & Eleemosyna. *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis quæ Corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio*

venis. Ad ſacrificium pertinent oblationes panis & vini, ad corbonã pecunia in arcam Eccleſiæ mittenda ſive gazophylacium, ut vocatur in canone Concilii Carthaginenſis; *Oblationem diſſidentium fratrum neq; in ſacrario, neque in gazophylacio recipiant.* Ubi vides tam pecuniam quam veſtitum etiam oblationũ nomine cõprehendi. Nam aliæ ſpecies in ſacrario recipiebantur, pecunia in gazophylacio. Hieronymus Cõmentariis in Haggæum prophetam munera, eleemoſynas, & oblationes diſtinguit his verbis; *Iuxta quem ſenſum breviter poſſumus dicere, fruſtra aliquos munera offerre Deo, & eleemoſynas & oblationes putare Deum poſſe placare, cum ipſi non extruxerint in ſe templum Spiritui ſancto.* Munerum appellatio generalis. Unde *munerum* & *donorum* oblatio. Eleemoſynæ in ſtipe & pecunia præcipue conſiſtebant. Oblationes proprie panis & vini dicebantur. Ambroſius Sermone quodã ea de quibus oblationes fiebant ita enumerat, *De grano, de vino, de fructibus arborum, de pecoribus, de horto, de negotiis, de*

vena-

venatione. Pecuniam non reponit in oblationibus. *Negotia* ſunt merces. Verum ut dixi proprie *oblationes* dicebantur de pane & vino aliiſque ſimilibus quæ eſui erant, & in altari oblata conſecrabantur. De his ante omnia ſciendum eſt, quod à ſolis communicantibus offerebãtur, & eo die quo cõmunicabãt, nunquã aliter, nec alio tẽpore. Quibus in locis die Dominico tãtum conventus agebantur, eo ſolo die oblationes fiebant, & à ſolis communicantibus: non enim ab ἀκοινωνήτοις ullo modo recipiebantur. Hinc Cyprianus dixit loco paulo ante citato, de matrona divite, *Dominicum celebrare te credis quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis.* Tunc temporis conventus ad communionem die Dominico tantum celebrabatur. *Sacrificium* autem appellat oblationem panis & vini ab eo qui cõmunicabat Sacramẽtis, fieri in altari ſolitam. *Hoſtiam* appellat Innocentius can. 11. his verbis: *De nominibus vero recitandis antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione com-*

mendet, quam superfluum hoc sit, ipse pro tua prudẽtia recognoscis, ut cuius hostiam necdum Deo offers, eius nomen ante insinues, quanvis illi incognitum nihil sit. Quæ ita scribenda ex vetustissimo codice. Nemo autem communicabat quin aliquid offerret, qui saltem per facultates id posset. Communicare igitur & offerre, quantum attinet ad ius communionis, idem. Nec enim ab ἀκοινωνήτοις munera ac dona accipiebantur. Cuius itaque oblationes recipiebantur, & cuius nomen offerebatur, is etiam ius communicandi habebat, & reapse etiam communicabat. Liberum quidẽ erat offerre, aut non offerre iis qui communicabant, sed omnino quicunque offerebat, is etiam communicabat. Cyprianus epist. XIV. lib. III. *Ad communicationẽ admittuntur, ac offertur nomen eorum.* Ambrosius Sermone XXXIV. *Omnes Christiani omni Dominica debent offerre & communicare.* Et paulo post: *In quadragesima vero moneo, die omni aut saltem omni Dominica offeratis & communicetis.* Turpe tum erat habenti communicare, & non offerre.

Hinc

Hinc divitem matronam increpat Cyprianus loco supra citato, *quæ corbanã non respiceret, & in Dominicum veniret sine sacrificio, & quæ partem de sacrificio quod pauper obtulerat, sumeret.* Item Augustinus Sermone LXIII. *Oblationes quæ in altari consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicet.* Avaritiam porro fecisse opinor, ut cum singulis tantum Dominicis communicarent veteres Christiani, mos introduceretur quotidie Synaxis habendæ, ut omnes cõmunicarent fideles omni die, quas sic copia maior esset oblationũ. Ab illis enim oblationibus plurimum ditatas fuisse constat Ecclesias, præcipue quas matronæ dabant opulentæ. Hinc Ammianus Marcellinus homo paganus & militaris, lib. XXVII. haud mirari se dicit si tanto ambitu contenderetur sua ætate de Episcopatu Romæ adipiscendo, *Cum id adepti*, inquit, *futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut earum convivia*

regales superent mensas. In maioribus sane civitatibus quia amplior fuit numerus fideliũ, eorumq; singulis diebus cõmunicantiũ simul & offerentiũ, luculentiores etiam Ecclesiarum ex illis oblationibus divitiæ extitere. In Græcis & Orientalibus minor fuit copia oblationum, ut etiam minus frequentes fuere Synaxes, & communiones. Apud Latinos *oblatio* privatorum eadem erat cum communicatione, adeo hæ res duæ affines & coniunctę fuere. Inde in canone Felicis, de Pœnitentibus quarti gradus: *Duobus autem annis oblationem modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur*. Quæ verba tamen non de oblationibus quas Laici faciunt, sunt accipienda, sed de Presbyterorum Liturgia. Nam de Clericis ea se præcipue constituere dicit Felix. Præterea *oblationem offerre* de solis Sacerdotibus dicitur. In canone autem Niceno XI. id sancitur de Laicis lapsis tantum, ut duos annos sine oblatione exigant, χωρὶς προσφορᾶς. Id est, sine communicatione oblationis, sive Eucharistię. Nunquam

quam enim aliter hæc vox in Græcis canonibus accipitur, nec uſquam ſignificat oblationem Laicorum. Dionyſius tamen Exiguus ad eum morem reſpiciens Eccleſiarũ Latinarum in canone Ancyrano χωρὶς προσφορᾶς intellexit de privata oblatione quam faciebant fideles: *Sine oblatione ſuſcipiantur ad communionem, ita ut ipſi non offerant.* Quam expoſitionẽ ſupra refutavimus ut falſam. Ex ea enim ſequeretur, illo gradu Pœnitentem, qui communicationem tantum orationis habebat cum fidelibus, potuiſſe ad communionem etiam Sacramenti Euchariſtiæ admitti, dummodo ipſe non offerret. Quod nunquam factum. Quiſquis offerre poterat, potuit etiam cõmunicare. Immo & quicunq; offerebat, etiam communicabat, ſed non è converſo omnes qui cõmunicabant iidẽ quoq; offerebant, cum liberum id eſſet & voluntarium, ac nemo cogeretur offerre. Certum eſt porro, ex oblationibus privatorum ſumptam fuiſſe eam oblationem quæ pro omnibus fiebat in Sacramento Euchariſtię conficiendo, & de qua omnes

participabant. Cum enim plerique panem & vinum offerrent, ex illo pane & ex illo vino accipiebatur quod in Sacramentum benediceretur, & quod omnibus divideretur. Id negat Episcopus Aurelianensis, sed nulla ratione fretus, quæ id quod vult, ita ut vult esse evincat. *Quidquid*, inquit, *offerebatur, pauperibus & Clericis alendis designabatur*. An idcirco non potuit ex tanta copia panis & vini quæ quotidie à fidelibus offerebatur, pars seponi aliqua ad Eucharistiam conficiendam? Vnde igitur panis ac vinum ex quibus Sacramenta conficiebantur tunc temporis accipi solebat nisi ex istis oblationibus? *Ad hæc*, quæ secunda ipsius ratio, non verior priore, *constat ex Epiphanio, in suis sacris eos usos fuisse parvo pane ad id facto, & rotundæ formæ atque ei simillimo quo utimur*. Nusquam id scripsit Epiphanius. Et falsissimum est, eius tempore in usu fuisse eiusmodi minutas ac tenues quisquilias crustulorum quas hodie adhibent ad hoc Sacramentũ. Eas quippe constat sero admodũ fuisse excogitatas, sæculo duodecimo circa finem

finem, aut circa initium decimi tertii, postquam invaluit doctrina de Transsubstantiatione. Scribit sane Epiphanius in Anchorato, panem ex quo fiebat Eucharistia fuisse rotundum, sed si fuit similis *oblatis* istis ut vocantur, & farreis bracteis, ut vult Episcopus Aurelianensis, ex eo etiam concludendum de eiusmodi pane, si panis est, Christũ ipsum Sacramentum sui corporis instituisse, & celebrandum postea in eodem genere panis Apostolis suis tradidisse. Nam tradit eo loco Epiphanius, in tali pane quem ibi rotundum esse dicit ac στρογγυλοειδῆ, Christum Dominum Eucharistiæ institutionem celebrasse. Ὁρῶμεν ὅτι ἔλαβεν ὁ σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ ὡς ἔχει ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. ὅτι ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ ἔλαβε τόδε, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό ἐστί μου τόδε. Καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. τὸ μὲν γὰρ στρογγυλοειδές ἐστι, καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν, καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μου ἐστὶ τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας.

Videmus quod Servator ſumpſit in manus ſuas, ſicut habetur in Euangelio. Quod ſurrexit in convivio, & accepit illa, & poſtquam gratias egiſſet, dixit, hoc eſt meum iſtud. Et videmus quod nec æquale nec ſimile eſt figuræ corporeæ, neque inviſibili divinitati, neque membrorum lineamentis. Hoc enim rotundæ eſt formæ, & quantum ad virtutem non eſt ſenſile. Et tamen voluit per gratiam dicere, hoc meum iſtud eſt, & nemo non credidit ſermoni ipſius. Nam qui non credit eſſe ipſum verum ſicut dixit, excidit gratia & ſalute. Quantum hæc abſint à deſignandis illis cruſtulis imaginatis quibus hodie utuntur Pontificii, verba Epiphanii indicant. Loquitur de pane quo tunc moris erat Euchariſtiæ Sacramentum celebrari, & quo inſtitutu à Chriſto fuerat. Non ſimilē, non parem dicit fuiſſe corpori ipſius & figuræ quam in carne ſuſtinebat, non inviſibili eius divinitati, nec membrorum lineamentis, & tamen Chriſtum de eo dixiſſe cum traderet illum diſcipulis, *Hoc eſt corpus meum.* Id eſt, hic panis, corpus eſt meum, ut patet Epi-

phanium

phanium intellexiſſe. Nulla igitur tunc imago Servatoris panibus imprimebatur quos ad Euchariſtiam ſacrandam uſurpabant. Non enim dixiſſet Epiphanius, καὶ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. Quippe in his farinaceis nebulis omnia Chriſti Servatoris membra lineis ſuis expreſſa viſuntur. Ridicula igitur ea ſententia Aurelianenſis, nec minus falſa, quod veteres Chriſtiani uſi ſint in ſacra Liturgia exiguo pane ad id facto, & paniceis iſtis foliis quorum hodie uſus eſt, ſimillimo. Omnes panes veterum ferme rotundæ fuere formæ, ut nullo negotio poſſet probari. Præterea ex ipſo Epiphanio colligi poteſt quo genere panis uterentur antiqui ad huius Sacramenti confectionem. In hæreſi Collyridianorum narrat idem. mulieres iſtorum hęreticorum Virgini Mariæ ſacrificium obtuliſſe idem & eodem modo quo orthodoxi Chriſti corporis Sacramenta celebrabant. In ſedili quadrato vel ſcamno linteum ſive mappam extendebant certo anni die, ſuper eam panem proponebant, eum panem Virgini Mariæ offerebant. Dein-

Deinde omnes ex eo participabãt. Τινὲς γυναῖκες κύβρικον τινα κοσμοῦσαι, ἤτοι δίφρον τετράγωνον, ἁπλώσασαι ἐπ' αὐτὸν ὀθόνην, ἐν ἡμέρᾳ τινὶ φανερᾷ τοῦ ἔτους ἄρτον προστιθέασι καὶ ἀναφέρουσι εἰς ὄνομα τῆς Μαρίας. αἱ πάσαι δὲ ἀπὸ τοῦ ἄρτου μεταλαμβάνουσι. Panis ille quẽ offerebant, & de quo participabãt, κολλυρὶς vocabatur diminutione à κολλύρη. Hoc genus est panis rotundi, ut ex Tertulliano constat in libro de Cultu Fœminarũ, ubi *Colluras* appellat eum crinium muliebrium ornatum qui ad occipitium adstruebatur, rotundo orbe, ad instar umbilicorum vel umbonum in scutis, quos fuisse rotũdos certum est. *Vos vero*, inquit, *adiicitis ad pondus, colluras quasdam, vel scuti umbilicos cervicibus adstruendo.* In nummis Faustinæ hic ornatus visitur, & aliarum aliquot imperatricum plane similis umbilico scuti, & pani rotundo, qui *colluræ* nomine vocatur auctori Afro. *Colluram* quoque vocavit Damasus in vitis Episcoporum Romæ panẽ consecratum in Eucharistiam, & populo dividendum. Sic enim scripsit in vita Zephyrini circa annũ Christi ducentesimum:

mum: *Et fecit constitutum de Ecclesia, ut pateras vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent donec Episcopus Missas celebraret, ante se Sacerdotibus adstantibus & sic Missæ celebrarentur, excepto quod si Episcopus interesset, ut tantum Clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi eam colluram consecratam, & acciperet Presbyter tradendā populo.* Leges ibi hodie *Coronam* ex vitiosa Scriptura antiqua *Colloram* pro *Colluram*. Κολλύρα μέγαλη Aristophani. Notabis interim, ex uno pane omnes participasse, ut in illo Collyridianorū fictitio Sacramēto, quo divinū æmulabantur, translatum in honorē virginis Mariæ. Ab ea autē κολλυρίδι quā offerebāt Mariæ, dicti sunt Κολλυριδιανοί. Ita porro & in Sacramento Orthodoxorum unus panis proponebatur, ex quo omnes participare soliti sunt, ad designandam communionem fidelium inter se, & ἕνωσιν. Et hoc est quod scripsit Paulus, ὅτι εἷς ἄρτος, ἐξ ἑνὸς ἄρτου οἱ πάντες μετέχομεν. Inde & ἄρτου κλάσιν Eucharistiæ celebrationem aliquot locis appellat Lucas in Actis, quia

quia unus panis in plures distribuendus frangebatur. Hinc ἄρτον προσφέρειν in canone Laodiceno pro Eucharistiam celebrare, quasi quę ex uno pane peragеretur. Et in Eucharistia Collyridianorũ quam eodem modo Virgini Mariæ offerebant, ut Orthodoxi Deo, ἄρτον προτιθέασιν, *panem proponunt*. Ambrosius in Epistolam priorẽ ad Corinthios cap. XI. *In uno pane omnes significãtur. Per id enim quod unum sumus, ex uno pane omnes sumere oportet.* Christus quoque in eo Sacramento instituendo unum panem fregit, & discipulis suis divisit. Hoc est quod dixit Epiphanius eo loco, ex quo tamen Aurelianensis probare contendit crustula imaginaria quibus nunc utuntur Pontificii, tunc ad idem Sacramentum fuisse usitata, panem illum quem Christus sumpsit in cœna, fregit & distribuit, & de quo dixit, *Hoc est corpus meum*, figuram habuisse rotundam. Ὅτι εἷς ἄρτος, inquit Paulus, ἓν σῶμα πολλοί ἐσμεν. Hodie ut celebratur Eucharistia à Põtificiis nõ de uno pane omnes participant, sed singuli suum panem habẽt, si modo panis nomen

nomen meretur quod accipiunt. Ex eodem polline multa crustula fiunt, unicuique suum datur. Hæc divisionem potius denotant quam communionem. Et certe nulla est communio in Pontificiorum sacris. Apud Collyridianos, quia mulieres quædam huic sacro communicabunt, Γυναῖκές τινες ideo parva collura sive κολλυρίδι utebantur. Certe veteres cavebant, ut ex uno pane omnes si fieri posset communicarent: pro multitudine enim communicantium maior aut minor parabatur, & pauxillium ex eo singuli accipiebant. Id etiam curabant, ut magis superfieret quam defieret, & reliquiæ manerēt. De quibus suo loco. Eum panē igitur ex pane offerentium alicuius sumptum fuisse res est certa. Augustini locus id aperte indicat, *Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicet*. Nec ferendus Episcopus Aurelianensis, qui de communicatione per Eulogiam quæ ad parœcias à matrice Ecclesia mittebantur, intelligit. Si posset ostendere, verbum *communicare* absolute

sic

ſic poſitum ut apud Auguſtinum legitur, de communione poſſe accipi, aut acceptum ab aliquo aliquando eſſe, non difficulter ipſi aſſenſum commodaremus. Non minus clara ſunt ac certa Cypriani de eo verba quæ iam ſuperius allata ſunt, de matrona divite, quam *in Dominicum venire ſine ſacrificio* dicit, & *quæ partem de ſacrificio quod pauper obtulit, ſumit*. Hæc enim de Eulogiis nõ queunt intelligi mitti ſolitis ad aliarũ parœciarũ Preſbyteros, ut ſcirent ſe non eſſe ſeparatos à communione Epiſcopi & Eccleſiæ principalis. Nondum quippe in more tunc fuerũt. Prętereà de ea loquitur fœmina opulẽta quę pręſens cõmunicat Euchariſtiæ factæ ex ſacrificio, id eſt, ex oblatione pauperis. *Quæ partem*, inquit, *de ſacrificio quod pauper obtulit, ſumis*. Ut de eodem pane omnes fideles qui omnibus particulatim fractus diſtribuebatur ſumebant, ita ex eodẽ calice bibebant omnes. Ita Paulus κοινωνοὺς τοῦ θυσιαστηρίου altaris participes fuiſſe dicit ac ſocios qui victimæ carnibus veſcebantur. Cum omnes fideles communicantes ex eo-

ex eodem pane participarent, & plures offerrẽt, non poterat nimirũ ex omniũ simul oblationibus Eucharistia confici? An igitur ex unius oblatione conficiebatur? Ita sane videtur. Quod & loci supra citati ex Cypriano & Augustino clare innuunt, præcipue Cypriani, *de sacrificio quod pauper obtulit, sumis*. Idque etiam aliunde probari potest. Ac verisimile est ita factum. Is cuius oblatio recipiebatur ad Eucharistiam celebrandam, tam grandem, ut probabile est, panẽ coquẽdum curabat, ut omnibus communicantibus sufficeret. Quemadmodum hodieque solent, quibus vices suę incũbunt panis Benedicti offerẽdi, pro numero parœcianorũ curare ut sit satis magnus. Idẽ olim factitasse plane videntur qui offerebant panem & vinum ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum. Nam & panis qui nunc vocatur *Benedictus*, sive Eulogia, successit plane in locum veteris Eucharistiæ, cum simplicius & ex institutionis ritu administrabatur. Huius qui offerebat, nomen etiam offerri solebat. Offerre autem alicuius no-

men nihil aliud erat, quam nomen eius recitare qui obtulerat id unde parabatur Eucharistia. Si qui alii aut aliud obtulerant munus aut donum, non nominatim percensebantur, sed generatim pro his orabatur. Cætera autem dona ac munera à fidelibus oblata præter panem & vinum quæ sola in altari solebant per canonem offerri, ad domum Episcopi deferebantur ac Presbyterorum, qui ea Diaconis & reliquis Clericis distribuerent, ut habemus in canone IV. Apostolorum. Canone tertio eorundem Apostolorum nec lac, nec mel, nec aliud quidpiam simile licebat offerre, sed vinum tantum ac panem. In Codice quoque Ecclesiæ Africanæ can. XXXVII. cavetur ne quid in altari offeratur præter panem & vinum aqua mixtum, quia ex his duobus tantum Sacramenta corporis & sanguinis fas fuit parari. *Vt in Sacramentis*, inquiunt, *corporis & sanguinis Dominici nihil amplius offeratur quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinũ aqua mixtum.* Adiiciunt, Primitias vero sicut mel & lac quæ uno die sollemnissimo in in-

in infantium mysterio solebant offerri, *quamvis in altari offerantur, suam tamen habere propriam benedictionem, ut â Sacramento Dominico corporis & sanguinis distinguantur.* Quæ etiam fidem abunde faciunt, ex oblationibus panis & vini quæ à privatis ad altare fiebant, sumi solita quibus sacrificium perageretur corporis & sanguinis. Non enim alias species præter has in altari licuit offerri. Quod etiã manifeste ostendit canon Innocentii, quem supra retulimus de nominibus recitandis offerentium, atque eorum oblationibus commendandis. Non vult enim ea recitari antequam Sacerdos precem faceret ad consecrandum, quia, inquit, superfluum est; *ut cuius hostia necdum Deo offeratur, eius nomen insinuetur.* Ex quibus id perspicuum fit quod diximus ex pane & vino à fidelibus oblato Eucharistiam fuisse benedictam. Nec aliud fas fuisse ὡς θυσίαν προσφέρεσθαι, ut loquitur Zonaras, præter panem & vinum, de quibus Sacramentum fieret corporis & sanguinis Dominici. Nam de aliis primitiis ait, πλὴν οὐχ ὡς θυσίας αὐτὰ προσ-

φέρειδς; ἀλλ' ὡς ἀπαρχάς. Ideo *hostiam* vocat Innocentius eam oblationem panis & vini quæ ad altare à privato ponebatur, quia ex ea sumeretur hostia sive θυσία, ut vocabant, id est, Eucharistia. Sic autem in Liturgiis eius oblatio commendabatur, cuius & nomen offerebatur: *Memento Domine eius qui obtulit hæc sacrificia*, ut est in Liturgia Coptica, sive Aegyptiaca, Basilii. Item in alia Gregorii: *Memento Domine eorum qui tibi obtulerunt has oblationes*. In Græca Basilii habetur primo commendatio eorum qui obtulerunt dona ea ex quibus factum fuit Sacramentum. Μνήσθητι Κύριε τῶν τὰ δῶρά σοι ταῦτα προσκομισάντων, καὶ ὑπὲρ ὧν καὶ δι' ὧν καὶ ἐφ' οἷς αὐτὰ προσεκόμισαν. Pluriũ autem numero in Liturgiis dicitur, τῶν προσφερόντων σοι ταῦτα, quia omniũ oblationes qui vinum & panem obtulerant eadem benedictione sacrabantur, ut suo loco dicam. Olim nomina eorũ recitabantur. Quod & *nomen offerre*, ut dixi, dicebant. Sequebatur post hos commendatio eorum qui alia munera quæcunque obtulerãt, aut primitias ad pauperes alendos,

dos, aut Clericos, quæ his verbis in ea Liturgia concipitur, *Μνήσθητι Κύριε τῶν καρποφορούντων καὶ καλλιεργούντων ἐν ταῖς σαῖς ἐκκλησίαις καὶ μεμνημένων τῶν πενήτων. Memento Domine eorum qui primitias obtulerunt in Ecclesiis tuis, & qui pauperum memores fuerunt.* Vbi vides manifeste, distingui eos qui obtulerunt panem & vinum ad Sacramenta, & qui alias primitias. Etiam Pseudo-Clemens, vetus alioquin auctor, nec omnino contemnendus, lib. II. Constitutionum Apostolicarum cap. XXVII, eas oblationes quæ converti debebant in usum Sacramentorum, ut erant panis & vinum, θυσίας interpretatur, & separat ab reliquis quæ non poterant eum usum præstare, ut primitiæ fuere fructum, ac decimæ. προσήκει οὖν, inquit, καὶ ὑμᾶς ὦ ἀδελφοὶ, τὰς θυσίας ὑμῶν, ἤτοι προσφορὰς, τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν ὡς ἀρχιερεῖ. Sequitur de aliis apud eum oblationibus, sive ἀπαρχαῖς. De prioribus solis dicebatur nomen eorũ & offerri & recitari, quia nominatim percensebantur. Simul cum oblatione ipsa commendabatur olim eorum nomẽ, eadẽq;

oratione, ut patet ex can. XXIX. Concilii Eliberini, his verbis: *Energumenus qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen non est ad altare cum oblatione recitandum.* Alias nomen recitabatur antequam oratio ad consecrationem haberetur, deinde inter ipsa mysteria oblatio commendabatur. Hoc improbavit Innocentius, ac voluit oblationes ipsas esse commendandas, & edicendas inter ipsa mysteria, post mysteria vero nomina eorum qui obtulerant recitari. Sic enim eius verba legenda ex antiquissimo codice, quæ vulgo intricata sunt in editis: *Prius ergo oblationes sunt commendandæ, & nomina offerentium non ante nisi infra mysteria recitantur.* Infra mysteria pro post mysteria. Sic *supra* pro ante, unde *Supermissa Epistola*, quære citabatur ante utramque Missam Catechumenorum ac fidelium. Sequitur apud Innocentium: *Ac tunc eorum oblationes sunt edicendæ, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus.* Inter ipsa mysteria ergo vult nominari & edici commendarique

que oblationes,hoc eſt,in ipſa Actione, ur loquitur Strabo,nomina autem offerentium poſt myſteria recitari. Hac cōmendatione oblationē per orationem ad altare factam, & nominis eorum qui obtulerunt recitatione blanda vis adhibita eſt hominibusad offerēdum. Quis enim non allectus fuiſſet honore tali ad oblationes pingues & opimas faciendas, quæ & publice ad altare edicebantur cum nominibus offerentium? Olim nihil tale factum. Qui conferebant in arcam Eccleſiæ, non nominabantur ad altare nec commendabantur. Poſt communionem factam & Synaxin dimiſſam quantum quiſque vellet inferebat, & ſi vellet. Nemo compellebatur. Poſtea hæc inventa ars provocandæ liberalitatis fidelium. Vlterius etiam progreſſa eſt avaritia. Cum enim primo non ultra commendarentur hæ oblationes nisi boni operis nomine, & eleemoſynæ, ut conſuetudo mala ſemper in peius creſcit, quo magis incenderetur pietatis calor, aliquid expiatorium in his oblationibus repoſuerunt & meritorium, ut ſic inſtar lega-

lium quasi obtinerent, ad quorum exemplar proditæ primum fuere. Antea qui ex oblato à se vino & pane cum aliis participabat qui non obtulerant, nihil plus quā istos aut amplius ex cœna Dominica se referre credebat. Omnium communicantium, si eandem fidem ad participanda Sacramenta corporis & sanguinis Dominici attulissent, sive obtulerant sive non, par habita est sors & conditio in illa participatione. Ex more tunc in Ecclesiam introducto turpe existimabatur ei qui per facultates poterat, nihil offerre, aut sine donis ac muneribus ad Ecclesiam & mensam Domini accedere. Sed hoc tanquam bonum opus & eleemosyna Ecclesiæ pauperibus erogata censebatur, qua fidelis fidem suam adprobabat, non ut per se talis oblatio proficeret offerenti adhoc ut maiorem partem in communione haberet corporis & sanguinis Dominici quam illi qui nihil obtulerant, nec intulerant. Quod quisque olim conferebat in arcam Ecclesiæ, non vocabatur oblationis nomine. Ne ipsa quidē Eucharistia ita appellabatur, pri-

primo Ecclesiæ sæculo & quamdiu aliqui superstites fuere Apostolorum successionis. Cum oblationum appellatione de muneribus ac donis quæ privati inferebant, nata est etiam ea oblationis denominatio quæ Eucharistiæ post secundo sæculo data est, quam & Græci προσφορὰν & ἀναφορὰν & θυσίαν, Latini *oblationem*, *sacrificium*, & *hostiam* dixere. Offerebat altari panem & vinum fideles. Ex eo pane & vino rursus sacrificium Deo offerre dictus est Sacerdos, dũ Eucharistiam consecraret. Quę nominis abusio, maximum etiam in re ipsa abusum ac corruptelam peperit. Inde etiam contigit ut ii qui panem & vinum offerebant ex quibus oblatio à Sacerdote esset in altari facienda ad communionem omnium fidelium, causam etiam adderent cur hæc dona & munera panis & vini à se offerrentur, & sibi adplicari peterent beneficium ipsius Eucharistiæ, non tantum ad remissionẽ peccatorum, sed etiam ad prosperitates alias, ut successum negotiorũ suorum à Deo per meritum illius oblationis

quam fecerant impetranda. Hinc erroneæ hominum opinioni connivebāt, & assensum accommodabant Clerici, quo sit liberalitatem privatorum invitarent, & spissiores oblationes elicerent. Sic tandem prævaluit ea persuasio, Eucharistiam esse sacrificium quod non soli sumenti prodest, sed quod etiā potest offerri ac debet pro aliis etiā tam vivis quam defunctis, atque pro peccatis, satisfactionibus aliisque necessitatibus. Vbi usu ac tēpore formata est ea credulitas, nemo deinceps ad offerendū veniebat quin adiiceret qua ex causa id faceret & pro quibus, pro vivis an pro defūctis, pro se an pro aliis. Hinc natæ sunt privatæ Missæ, quarum usus tā priscæ Ecclesiæ incognitus quā abusus, in certam sacrosanctorum Christi mysteriorum corruptelā & perniciem evasit. Atqui ita huius Sacramenti celebrationem generaliter omnibus ei communicantibus tam offerentibus quam non offerētibus ad remissionem prodesse semper in Ecclesia creditum est, non paucis tantum qui eleemosynam maiorem ac pinguiorem darent

Sacer-

Sacerdotibus. Ambrosius Commentario in Epistolam Pauli priorem ad Corinthios cap. XI. *Ideoque si sic*, inquit, *convenitis ut unusquisque suum sumat, domi hæc agenda, non in Ecclesia, ubi unitatis & mysterii causa convenitur, non dissensionis & ventris. Munus enim oblatum totius populi fit, quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod unum sumus, de uno pane omnes sumere oportet*. Ergo vel ab uno oblatus panis ex quo Sacramentum Eucharistiæ conficiebatur, omnibus proficiebat qui ex illo pane sumebant. *Possumus autem*, inquit Valafridus Strabo, *ac debemus, ut eadem sancta Missarum celebratio non paucis, sed multis prodesse credatur, dicere cæteros in fide & in devotione offerentiũ & communicantium persistentes eiusdem oblationis & communionis dici & esse participes*. Quod & ipsum tamen neque satis rectum est, neque sincerum, sed ex abusu illius seculi profectũ, quo multi non communicantes aderant una, & Missam audiebant cum communicantibus & offerentibus. Eos dicit in fide & devotione offerentium & communican-

nican-

nicantium persistentes eiusdem oblationis & communicationis esse cõsortes. Ita aliena fide & devotione aliquis tutus esse poterat, & sine communicatione propria per alterius communicationem particeps fiebat corporis & sanguinis Dominici. Quæ stulta fuit & ridicula erroneaque prorsus opinio. Ex eo etiam liquet, non nisi qui obtulerant tunc solitos cõmunicare. Quod tamen non perpetuum fuit. Nam idem notat eodem capite, nonnullos fuisse qui offerrent in iis Missis in quibus non persisterent, id est, à quibus discederent ante communionem. Id enim ex antiquo abusu & errore tũ multi quoque, ut apparet, faciebant, ut cum nollent communicare non interessent actioni, sive celebrationi ipsorum Sacramentorum, sed ante discederent. Hoc improbat Strabo his verbis: *Sciendum autem, quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum, potius quam virtutem Sacramentorum sæpe in illis transeuntes offerunt Missis ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est, ibi offerre, ubi velis persistere,*

ut

ut qui munus obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in Actione dicitur; Qui tibi offerunt, *non dicit,* Qui obtulerũt, *ut intelligamus, eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniunt, ad quod oblata sunt.* His ostenditur, nonnullos in multis Missis eodem die obtulisse qui non persistebant in omnibus usque ad finem, sed in quibusdam tantum. Nam eo tempore etiam plures reperiebantur qui in die omnibus quibus adessent Missis communicarent, alii vero qui crederent quod sufficeret semel in una communicare, cum tamen pluribus interessent. De quo tradit ibidem cap. xxv. idem Valafridus: *Et quia de communicandi varietate quædam præmisimus, hoc addendum videtur, esse quosdam qui semel in die cõmunicare, etiamsi pluribus intersuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum sufficere credant. Esse vero alios qui sicut in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis, in die communicare velint.* Hanc abundantiam Missarum & cõmunionum persuasit tunc populo Cleri-

Clericorum cupiditas, ut sic plures cõsequerentur oblationum annonas. Erat & alius error eo tempore, quem taxat ibidẽ Strabo, *quod quidã putabãt, se non posse aliter plenam cõmemorationẽ eorum facere pro quibus offerũnt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum.* Hic error ortus videtur ex illo more antiquo supra nobis notato, quo eius vel eorum qui panem & vinum ad Sacramenta peragenda offerebant nomina specialiter recitabantur cum reliquorum offerentium generatim munera cum ipsis, sed non nominatim, commendarentur. Illi qui panem & vinum offerebant, etiam dicere solebant, pro quibus, vivisne an mortuis, eã offerrent, & qua ex causa. Inde prodita illa consuetudo pessima, ut singulæ oblationes pro singulis faciendę viderentur, & pro vivis tantum aut defunctis, non pro utrisque simul. Nam illi qui vinum & panem obtulerant unde Sacramẽta conficiebãtur, quasi præcipui eorũ auctores habiti, pro quibus nimirum fierent, & ex quorum oblatione.

tione. Qui maximus abusus fuit & merito damnatus Straboni. *Cum vero,* inquit, *sciamus, unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem quem universalis Ecclesia offert*: Sed adiungit statim: *Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine & oblationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinatione qua putat unum Dei Sacramentum non esse generale Sacramentum.* Nulla certe olim Missa celebrabatur, ut antiquę Liturgiæ testantur, Græcæ, Aegyptiacæ, & Latinæ, in qua non generaliter preces fierent pro communi Ecclesiarum pace, pro totius urbis tranquilitate, pro imperatoribus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotantibus, pro laborantibus quacumque ex causa, & generatim pro cuiuscunque opis indigentibus. Δεόμεθα οὖν πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν. Ita communi nomine concipiebatur oratio: *Rogamus te pro his omnes, & hoc tibi offerimus sacrificium.* Nemo ergo unus aliquis pro se offerebat, aut ad se pertinere credebat fructum & utilita-

litatem efficaciamque Sacramenti quod pro omnibus institutum fuit fidelibus, & cuius singuli participes fiebant ad remissionem suorum peccatorum. Deinde in Ordine mentio fiebat defunctorum, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum. Postea pro defunctis sanctis Patribus; Episcopis, & omnibus omnino fidelibus quicunque decesserant. Non ut ex purgatorio transirent in paradisum, sed ut in loco refrigerii essent, & in sinu Abrahæ. De quo alius dicendi locus. Ea δίπτυχα vocabantur, ex quibus nomina Episcoporū defunctorum recitabantur. Pro viventibus etiam precabantur illius Ecclesiæ Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, Psaltis, Exorcistis, Monachis, Virginibus, Continentibus, Laicis. In antiquioribus porro Liturgiis ut in ordine Synaxeos quem describit Cyrillus, nullæ preces fiunt pro offerentibus, nec ulla eorum mentio facienda extat. In recentioribus, quæ tamen antiquitatem quam non habent ementiuntur, ut Aegyptiacis, & illa quæ Basilio

Basilio inscribitur, meminit etiam eorum in precibus suis Ecclesia. Quod in ordine Missæ Latinorum usitatius fuit quam in Græcorum Synaxi, ut ante observavimus. Hæc condemnant morem posteriorum temporum quo singulæ oblationes pro singulis offerebantur. Sed longe deterrima illa fuit perversitas abusus qui singulares Missas & privatas, sine communicantibus, à solo Sacerdote peragendas invexit. Quas Missas prorsus constat esse illicitas. Quod nec dissimulavit Valafridus Strabo, dum solus legitimas vult haberi eas quibus intersit Sacerdos, respondens, offerens atque communicans, *Sicut*, inquit, *ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Ex quibus apparet, tunc valde admodum raro celebratas tales Missas. Nec verum est quod ad eas utcunque tolerandas ibidem addit idem, *Posse nempe intelligi, cum solus Sacerdos Missam celebrat, illos eiusdē actionis esse cooperatores pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorū personam in quibusdam responsionibus Sacerdos exequitur.* Mira certe ratio ex misera depravа-

V

pravatione & adulteratione naturæ tam sancti Sacramenti enata. Quo modo potest videri actionis eius quam facit is qui Missam celebrat talē, cooperator esse ille pro qua fit? Primum hoc Strabo iam improbavit, singulas pro singulis oblationes fieri, quæ debēt omnium fidelium esse communes, & omnibus ex natura ac vi Sacramenti prodesse. Deinde qui videt quod agitur, & audit quod dicitur in Missa, nec particeps fit corporis & sanguinis Dominici, nihil inde solidi reportare potest quod ad salutem suam faciat, haud sane magis quam si quis diceret, non sacro lavacro tinctum eandē gratiā baptismi salutarē promereri si multos baptizari videret. Non dictum est in Euangelio, nisi quis viderit Eucharistiā dū celebratur, & audierit Missam dum canitur, non habebit vitam æternam, sed plane apud Iohannem Christus ipse dixit, *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Ita & de baptismo in eodem Euangelio scriptum est, *ad regnum Dei, nisi baptizatus & renatus quis fuerit, pervenire*
non

non posse. Neutrum igitur Sacramentum, cuius utriusq; parem necessitatem multi veterum crediderunt, potest cuiquam proficere ad salutem, qui oculis tantum & auribus eius celebrationem usurparit, non reapse perceperit. Non si quis trecenas & sexagenas quinas, quotquot eunt dies, audiverit in anno Missas, videtur tantũ proficere quam si vel semel in una communicaverit, & revera corporis & sanguinis Dominici particeps fiat. Cur vetus Ecclesia credidit omnẽ fidelem omni die cõmunicare debere, quod ultra decimum sæculum videmus durasse, hodierna autem ac Romana putat sufficere si semel in anno communicatum fuerit? Quia nimirum illa nullum usum, nec ullum fructum Sacramentorum constituit in videnda & audienda eorum actione, sed totum posuit in participatione vera corporis & sanguinis, hæc vero contrarium sentit. Post ademptum porro populo calicem Missæ illæ solitariæ & privatæ factæ sunt adeo frequentes ut non aliæ fere nunc celebrentur. Inde enim factum ut populus nullã habere queat

communionē cum Sacerdote, nec cum eo communicare, cum ille ſub utraque ſpecie Sacramētū accipiat, Laicis vero non liceat niſi ſub una illud percipere. Olim ad menſam eandem tam populus quam Clerus communicabat. Vnde ille in Epiſtola Dionyſii apud Euſebium lib. VII. cap. X. de Laico fideli quem dicit, τῇ τραπέζῃ παρεστῶτα, καὶ τὰς χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα. *Menſæ adſtantem, cum manum ad ſuſceptionem ſanctæ eſcæ protendiſſet, atque eam accepiſſet; & ſatis longo tempore participaſſet corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu.* Poſtea, ut ante notavimus, ſolis Sacerdotibus datum eſt ad altare ipſum quaſi ad menſam Euchariſtiam percipere, populo extra altare eā accipere ſolito. Poſtremo non loco tantum differre cœpit *Eccleſiaſtica* cōmunio & *Laica*, ſed etiā re ipſa, cū hi ſub una; illi ſub utraq; ſpecie communicarent. Falſum eſt autē quod ſcripſit Epiſcopus Aurelianenſis in Obſervationibus lib. I. cap. IV, ſub

ſub finem eum qui communicabat Laicũ accepiſſe Euchariſtiam *more Laicorum, aut extra ſepta altaris, aut ſub una ſpecie, aut ſub utraque, prout Eccleſiæ uſus obtinebat.* Quaſi in antiqua Eccleſia per mille & ducentos amplius annos alius in Eccleſia uſus ac mos obtinuerit quam ut Laicis ſub utraque ſpecie communio daretur. Satis conſtat, quadringentis abhinc annis in hac *extimatione ſæculorum*, ut cum Tertulliano loquar, id mutatum. Cur hoc factum? Tantumne homini in Deum licuit, ut tanquam pravam eius determinationẽ corrigere auſus ſit? Hic vero locum habet quod dixit Paulus, ſapientiam hominum ſtultitiam eſſe apud Deum. Nec vero ſtultitia tantum eſſe mihi videtur, ſed horribilis & veſana præſumptio opinantium aliquid poſſe à ſe melius excogitari & ſtatui quam quod divini ſpiritus providentia invenerit ac conſtituerit. Chriſtus ipſe ultima cœna quam egit in terris, inſtituit Sacramentum corporis & ſanguinis ſui in memoriã paſſionis in cruce, & mortis quam ſequenti die pro peccatis no-

ſtris erat ſubiturus. Hoc in pane & vino inſtitutum ab illo fuiſſe nemo negare poſſit. Ita ab ipſo traditum Apoſtoli accepere, & Eccleſiis quas condebant porro tradidere. Eccleſia vero univerſa per duodecim&amplius ſæcula cõſtanter id retinuit,& in pane ac vino ea Sacramenta cuiuſcũque ordinis fidelibus percipienda celebravit. Ab Innocentio tertio Papa circa annũ cIↃ.cc xv. in Cõcilio Lateranẽſi. Nõ quidẽ in eo Concilio tunc id ſancitum fuit, ſed ab eius, tamen propoſitionibus quę de adimendo populis calice factæ ſunt, res tandem ipſa in Eccleſiam introducta eſt. Vt hinc ſcias, non ab alio potuiſſe aut debuiſſe procedere tam contrariam Chriſti inſtitutioni conſuetudinem quam ab eo qui revera ſit Antichriſtus. Si pro bono Eccleſiæ hæc facienda fuit mutatio, cur in ſolis Laicis facta eſt? Cur relictus calix Clericis,quo illi privati ſunt? An ut ſic maior diſtinctio plebis & ordinis Eccleſiaſtici fieret, & hoc etiam tam notabili diſcrimine dignitas & auctoritas Sacerdotum amplificaretur & extolleretur ſupra ple-

bem

bem, quasi soli viderentur capaces utriusque Sacramenti, quo indignus esset reliquus populus? Sane & regibus pro privilegio concessere ius sub utraque communicandi, ut hoc exæquarentur honore Sacerdotibus, & sic Sacerdotii ac regni concordia & societas sanciretur. Quæcunque causa eos ad hoc moverit ut Sacramenti huius integritatem mutilarent, pessima illa fuit, & vel sola schisma quo hodie laborat Ecclesia inducere debuit, & iam factum confirmare. Nulla enim nobis, ut verbis utar Afri scriptoris, cum illis communicatio pacis esse potest, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, qui tam diversis utuntur Sacramentis. Nam ut recte ait idem, *Iura illa non alia ratio regit quam eiusdem Sacramenti una traditio*. Hinc ergo, ut illi quondam adversus hæreticos, ita nos nunc adversus Romanos, hæreticis omnibus in hoc uno articulo peiores ac perversiores, prescriptionẽ dirigimus. Vbi autem apud illos eius Sacramenti quod Christus instituit vera traditio? Quod perfectum ille tradidit & Apo-

ſtoli acceperunt, ac Eccleſia diu ſervavit, iſti noviſſimis temporibus imperfectum dederunt ac mancum de duabus partibus altera. Non enim integrante parte tantum, ſed plane eſſentiali ſubtracta, dimidivatum reliquerũt. Immo pro duobus Sacramentis corporis & ſanguinis Dominici in pane & vino conſiſtentibus, alterum detraxere, nempe Sacramentum ſanguinis, detracto calice in quo ſanguis cenſetur. Hinc veteres omnes Patres Græci Latinique numero multitudinis quaſi de duobus loquentes Sacramentis, hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſolent exprimere. *Sacramenta altaris* Latini paſſim appellant, Græci vero *μυςήεια*, & *τῶν μυςηείων κατάδοσιν*, & *μετάληψιν*. Hieronymus Cõmentariis in Aggæum prophetam, *in Sacramentis, panis, & vinum, & oleum.* Inde in cenſu Sacramentorum pro duobus à pleriſque computata ſunt. Ita Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum lib. 1. capite ultimo, *quattuor Sacramenta* nominavit. *Sed quia de ordinibus ſacris, & de quattuor Sacramentis, nec non & de*

officio

officio Missæ sermonem explicamus. Quattuor illa Scramenta quæ se dicit explicasse, non alia sunt quam præter baptismum & chrisma, duo corporis & sanguinis Dominici Sacramenta, ut ipse clare testatur cap. XXXI. eiusdem libri. *Sed quia*, inquit, *de duobus Sacramentis, id est, baptismo & chrismate, iam quantum nobis Dominus dedit, supra disseruimus, superest ut de reliquis duobus, id est, corpore & sanguine Domini, etiamnunc, quantum Dominus annuerit, diligentius investigemus*. Idem lib. eodem cap. XXIV. de Sacramentis Ecclesiæ clarius id exponit his verbis. *De Sacramentis autem quæ in Ecclesia fiunt oportet ut sequens sermo exponat atque declaret ritum Sacerdotalem. Sunt autem Sacramenta Baptismus & Chrisma, Corpus & Sanguis, quæ ob id Sacramenta dicuntur quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur.* Vnde & passim tam ipsi quam alii Patres vetustiores *Sacramenta Dominica* ac *divina* plurali numero vocitant Sacramentum Eucharistiæ. Hinc & *Sacramentum*

calicis apud Augustinum de Doctrina Christiana lib. IV. cap. XXI. Maximus Monachus & confessor apud Photium in Quæstionū è Sacra Scriptura solutionibus, ποτήριον separatim nominat, & ostendit quæ esset huius Sacramenti cum baptismo differentia. Τὶς ἡ διαφορὰ ποτηρίου καὶ βαπτίσματος. De recentioribus etiam Valafridus Strabo aliquot locis, ut cap. XXIII. *Actio dicitur ipse canon, quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*. Nempe Sacramentum corporis, & Sacramentum sanguinis, quæ uno Eucharistiæ Sacramento comprehenduntur, ut Baptismus & Chrisma, sive impositio manuum, in antiqua Ecclesia non pro duobus sed pro uno Sacramento numerabantur, quia uno eodemque tempore solebant conferri. Ideo Rabanus in quattuor Sacramentis percensendis bina & bina numerat, *Baptismum & Chrisma, Corpus & Sanguinem*. Ita corpus & sanguis interim pro uno Sacramento Eucharistiæ quia simul sumuntur, interim pro duobus accipiuntur, ut & Baptisma veterum cum Chrismate, quia simul

ſimul etiam conferebantur in Eccleſia primitiva, interdum pro uno, interdum pro duobus intelliguntur. Vt nunc ea celebrantur ab Eccleſia Romana, non poſſunt niſi bina cenſeri, cum non eodem conferantur tempore. Cum igitur Sacramentum Euchariſtiæ duobus quaſi Sacramentis conſtet ſive duabus eſſentialibus partibus, cur alteram contra Chriſti traditionem dempſerint, operæ pretium eſt eorum audire rationes quibus factum id defendãt, cum nullas prorſus faciendi habuerint. Primum dicunt, quod Lucæ XXIV. Chriſtus poſt reſurrectionem duobus diſcipulis panem ſolum benedixerit, verſ. XXX. Sed ea ratio ridicula. Non enim ibi Chriſtus Euchariſtiam, ſive Sacramentum corporis celebravit, ſed ſimpliciter cum illis duobus diſcipulis, qui eum ſibi obvium factum in itinere non noverant, & die iam adveſperaſcente ſecum in hoſpitio manere coegerant, cum cœnaret, more Iudæorum panem fregit, & benedixit. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κατακλιθῆναι αὐτὸν μετ' αὐτῶν, λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε καὶ ἔκλασε καὶ ἐπεδίδου αὐτοῖς.

Nun-

Nunquam Iudæi quidquam edebant quin gratias Deo agerent ac benedicerent ei cibo quem ſumpturi erant. Quod in pane frangendo quem erant ipſi ſumpturi, & aliis ſecum cœnantibus diſtributuri, ſemper facere ſoliti. Si cum illis porro duobus diſcipulis cibum tum cepit Ieſus, an non etiam bibiſſe cenſendum eſt? Profecto & cum aliis diſcipulis in eodem capite partem piſcis aſſi ab iis acceptam comeſſe dicitur, & favum mellis guſtaſſe. Aliam rationem adducunt, quod in oratione Dominica ſolus panis quotidianus petatur. Scilicet cum pane non alius etiam victus petendus intelligitur, nec etiam cum victu potus? Cum dicit Apoſtolus nos victu & veſtitu contentos eſſe debere, an potium excluſit? Quis neſcit etiam victus nomine intelligi potum? Tertullianus in libro de præſcriptione Hæreticorum dixit, *Eucharistia paſcit*. Numquid de ſolo pane vel corpore Chriſti intellexit, non etiam de calice? Atqui inter illa quæ paſcunt & alunt corpus, etiam ea quæ potui ſunt, locum habent. An

An aliquis eſt qui tantum edat, & non etiam bibat? Quos Græci συσσίτους vocant, id eſt, una cibum capientes, aut ὁμοκάπους, ſimul edentes, poteſtne quis eorũ nõ etiã una bibiſſe putari qui una viverent & comederent? Idiotiſmo veteris Latinitatis, quam etiã Romanenſes linguæ hodie retinent, *Compania* vocatur hominum ſocietas qui eodem pane veſcuntur. Nonne etiam compotant iſti *companes* qui & *companiones* vocabantur? Cum aliquem hodieque invitamus, ei dicimus, an velit nobiſcum manducare. Nihilne illi niſi quæ ad eſum pertinent præbituri ſumus, ſiti interim enecaturi? Afferunt & ex XXVII. Actorum, ubi Paulus in navi ſolum panem benedixit. At nullum ibi de Euchariſtia verbum. Nec in eum finem panem benedixit & manducare cœpit Paulus. Poſt longam maris iactationem cum nauſea pleriq; conflictati eſſent, hortatus eſt illos Paulus ut ad reficiendas vires cibum ſumerent. Et exemplo ſuo ad id eos faciendum provocans, in conſpectu omnium dicitur accepiſſe panem, & gratias Deo egiſſe de mo-

de more, & cum fregisset, manducare coepisse. Hoccine valet ad defendendam Eucharistiæ sub una specie panis participationem? Ludibrium debent sensum communem habentibus qui ista proponunt. Sed fortius est quod allegant, in Actis Apostolorum cap. II. & XX. solum panis fieri mentionem. In illis sane locis per ἄρτου κλάσιν Eucharistiæ celebrationem à Luca intelligi veteres ac recentes interpretes pariter sentiunt. Dictum est supra, panis nomine omnia quæ ad victum, victus autem appellatione etiam quæ ad potum faciunt censeri. Hebræi לחם vocant panem & quemcunque præterea cibum, sed & convivium atque epulum eadē voce signant, quod utique non est sine vino. Ita ἄρτος Lucæ Eucharistia est, constans ex pane & vino speciebus sacramentalibus. Sæpe etiā patres ita loquuti sunt. In Concilio Laodiceno can. XLIX. ἄρτος de Eucharistia solida accipitur, non de solo pane, verum etiam de calice. ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Quæ Exiguus

sit

ſic vertit: *Quod non oporteat panem benedictium offerri niſi in Sabbato & Dominica.* Oſtendant ſolum tum panem pro Euchariſtia offerri ſolitum die Dominico & Sabbato, & tum illis permittam credere, ſub una tantum ſpecie communicaſſe. In eadem Synodo can.xxv. panis & calix ſimul nominantur, ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. *Quod non oporteat Subdiaconos panem dare vel calicem benedicere.* Sed mirum eſt, cum tot loci ſint in novo fœdere quibus mētio fiat panis ſimul & calicis, ex duobus locis Lucæ qui ſolius panis meminit, velle eos evincere in ſolo pane confectū Euchariſtiæ ſub Apoſtolis Sacramentū, cum ex illis pluribus potius hi duo videantur explicandi. Nec interpretatio vero difficilis, cum, ut diximus, ſatis conſtet, nomine panis ac cibi etiam potum apud omnes fere gentes comprehendi ſolitum. Atqui cum panis & calicis fit mentio, non poteſt de una tantum ſpecie res exponi. Cum vero panis ſolus nominatur, tralaticium eſt etiam id quod bibitur, cum eo quod editur contineri. Apud

Euan-

Euangelistas in Institutione Dominicæ cœnæ narranda panis & calix simul commemorantur. Paulus in ea institutione tradenda Corinthiis sicut eam se accepisse à Domino perhibet, quinque versiculis in ordine cõsequentibus quinquies repetiit panis& calicis, edendi& bibendi expressas declarationes. In priore ad Corinthios cap. XI. Quod maius est, in eadem Epistola cap. X. vers. XVI. calicem nominavit ante panem ipsum, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* Idem Paulus in eadem Epistola cap. X. vers. XXI. Calicem anteposuit pani his verbis: Οὐ δύνασθε ποτήριον κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον τῶν δαιμονίων. Οὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. Nam per τράπεζαν cibum qui in mensa apponitur plane intellexit. An non & ipse Lucas in Euangelio cap. XXII. in exponenda Cœnæ Dominicæ institutione, cum Christũ à Calice incipientem facit, priorem ordine fuisse significavit? καὶ δεξάμενος τὸ ποτήριον, εὐχα-

εὐχαριστήσας, εἶπε, λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς. Sequitur deinde panis benedictio & fractio verſ. xix. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασε. Quod enim repetitur de calice verſ. xx, ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, videri poſſet additamentum adſutum à veteribus Chriſtianis, qui ὕστερον πρότερον illud Lucæ non potuerunt ferre, & qui eum Euangeliſtam cum reliquis voluerunt conciliare panem prius nominantibus quam calicem. Certe totus ille verſiculus fere ad verbum ex loco Pauli videtur deſcriptus prioris ad Corinthios Epiſtolæ cap. xi. verſ. xxiv. paucis tantũ mutatis in fine. An dubium eſt igitur quin ex Paulo illa ad Lucam adſcita fuerint, quæ non poſſunt ibi cohærerẽ niſi velimus bis à Chriſto ſanctificatum & traditum diſcipulis calicem, ante & poſt panis benedictionem ac diſtributionem? Infra tamen docebimus nihil eſſe mutandum aut demendũ in Luca, ſed quæ confuſa videntur, aut præpoſtere poſita vel repetita, explicabimus. Vetus auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, non tamen Clemens,

lib. VII. cap. XXVI, cui titulus εὐχαριστία μυστικὴ, ſanguinem prius nominavit quam corpus, his verbis in gratiarum actione ad Deum Patrem: ἔτι εὐχαριστοῦμεν, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τοῦ τιμίου αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκχυθέντος ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ τοῦ τιμίου σώματος, οὗ καὶ ἀντίτυπα ταῦτα ἐπιτελοῦμεν, αὐτοῦ διαταξαμένου ἡμῖν καταγγέλλειν τὸν αὐτοῦ θάνατον. *Adhuc agimus tibi gratias, Pater noſter, pro ſanguine pretioſo Ieſu Chriſti pro nobis effuſo, ac pretioſo corpore, cuius hæc ſymbola celebramus, ſicut nobis præcepit mortem ipſius adnuntiare.* Verus Clemens in Epiſtola ad Corinthios hunc eundem ſequitur ordinem, præponendo nimirum ſanguinem carni ſive corpori, his verbis: Ἐν ἀγάπῃ προσελάβετο ἡμᾶς ὁ δεσπότης. Διὰ τὴν ἀγάπην ἣν ἔσχεν πρὸς ἡμᾶς τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν ἐν θελήματι τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν. *In dilectione nos Dominus ſibi aſſumpſit. Propter dilectionem quam erga nos habuit Dominus noſter Ieſus voluntate divina, ſanguinem ſuum pro nobis dedit, & carnem ſuam pro carne noſtra.* Qui priorem locum dederunt

derunt calici sive sanguini, ut Paulus semel, ut Lucas, ut uterque Clemens, non respexere forsitan ordinē quo hęc Sacramēta instituta & tradita à Christo fuere, sed quod potior esset ac nobilior pars eorū. Nam vinū sanguinis signum est in his Sacramentis, sanguis autem animam denotat, ut panis corpus sive carnem. At anima quæ in sanguine esse putatur, corpore & carne nobilior. Ambrosius commentariis in Epistolam ad Corinthios priorem cap. XI. *Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est. In cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis.* Hinc Latini *Natalem Calicis* vocarunt diem cœnæ Domini, id est, feriam quintam ultimę hebdomadis Quadragesimę, in qua Christus Dominus cœnam suam instituit, & mysteria sacrosancta corporis & sanguinis suis discipulis tradidit. Eā diem vocarūt etiam *Cœnam Domini*, ut

ex Iſidoro, Amalario, Eligio, & aliis conſtat. A potiore autem & digniore veluti parte Sacramenti etiam *Natalis calicis* nominata eſt, ut idem Eligius affirmat Homilia x. Sæculo autem ſexto is vixit. *Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis calicis.* Maximus Monachus in Quæſtionum è ſacra Scriptura ſolutionibus, cum vellet comparare & conferre Euchariſtiæ Sacramentum cum Baptiſmo, & quid invicem differrent oſtendere, ſolum calicem nominavit. Queſtionē ita inſcripſit, τίς ἡ διαφορὰ ποτηρίου καὶ βαπτίσματος. Iiſdem porro nominibus & elogiis utrumque Sacramentum veteres donaverunt, & omnia eadem de utroque dixerunt. Euchariſtiam κοινωνίαν appellarunt. Sic & Baptiſmum nuncupavit Cyrillus in Epiſtola apud Balſamonē. Euchariſtia τὸ δῶρον nuncupatur in canone Nicæno & apud patres. Iidē Baptiſmum ſic vocarūt, ut liquet ex oratione Gregorii Nazianzeni XL. *Gratiam* & χάριν de utroq; pariter uſurparunt. Parē utriuſq; neceſſitatem etiam multi veterum crediderunt. Africa-

fricanæ Ecclesiæ teste Augustino alterum *salutem*, alterum *vitam* appellarunt. Vita autem & salus idem. Cyprianus lib. III. ad Quirinium, Sectione XXVI. *Parum esse baptizari ac Eucharistiam accipere, nisi quis factis & opere proficiat in Epistola Pauli ad Corinthios prima.* In primitiva Ecclesia, ut ex Iustino & antiquissimis passionibus martyrum cōstat, à baptismo statim dabatur Eucharistia. Cur in multis hæc duo Sacramenta æquiparentur, quibus rebus inter se diversa sint, ut doceret Maximus, ποτήριον sive calicem pro Eucharistia tota nominavit. Et sane non immerito. Cum enim eo Sacramento Christus memoriam mortis suæ & passionis celebrari à suis voluerit & typum sanguinis pro nobis effusi in calice tradiderit, etiam in baptismo mortis eius & passionis fit cōmemoratio, cuius est ἀντίτυπον, ut veteres tradiderunt. Vere etiam & Paulus dixit, nos baptizari in mortem Christi qui in Christū Iesum baptizamur, ἢ ἀγνοεῖτε ὑμεῖς ὅποσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν; Inde & Baptismum

veteres, ut dixi, dixerũt esse *τῦ Χριστῦ παθημάτων ἀντίτυπον*. Vt aqua lavantur & purgãtur corpora, ita sanguine Christi lavamur & purgamur à peccatis nostris. Quemadmodum autem calix in cœna sanguinis Dominici symbolum est, ita & *sanguinis* appellatione mors præcipue designatur, præsertim violenta & quæ cęde cõtingit. Hinc illa apud Poetam, --- *qui sanguine nobis*

Hanc patriam pepere suo.

Oratores quoque dixere, *sanguinem pro patria profundere, sanguinem & vitam petere, sanguinem & vitam alterius eripere*, ut est apud Ciceronem. Cum igitur Baptisma & Eucharistia, Dominici sanguinis, id est, passionis & mortis, æque symbola sint, ad ea inter se cõtendenda maximè eam partem Eucharistiæ sumpsit Maximus, quæ sanguinem proprie denotaret, & ex sanguine totam passionem & mortem. Sic Clemens in Epistola ad Corinthios prima, cum dixisset, Christũ pro nostris animabus animã suam posuisse, pro nostro corpore corpus suum morti tradidisse, simpliciter & absolute sangui-

nem

nem ſuum pro nobis dediſſe dixit. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν, ἐν θελήματι Θεοῦ, καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Prius totum dixit quod in ſanguine eſt, deinde per partes id explicavit, animã & corpus, ſive carnem, dicendo. Hoc eſt etiam quod Ambroſius voluit loco iam ante à nobis citato, cum ſcripſit, *Sanguinem Domini ſanguinem noſtrum redemiſſe, id eſt, totum hominem ſalvum feciſſe.* Nam in hominibus qui occiduntur, & in animalibus quæ iugulantur, ſanguine effuſo mors inſequitur. Nec minus gentes quam Iudęi vitę ſedẽ in ſanguine eſſe exiſtimarunt· Hæc ratio poteſt afferri, cur in Sacramento Euchariſtiæ poculi mentio prælata fuerit ab illis quos ſupra memoravimus panis mentioni, aut cur ab aliis itidem memoratis nomine calicis totum Sacramentum comprehenſum ſit. Sed aliam etiam ex ritu Iudaico pro calicis prælatione non eſſet alienum allegare, fortaſſe nec alienam ipſam. Chriſtus Sacramenta ſua ex rebus apud Iudæos uſitatis mutuatus eſt.

Quod erat apud illos carnale, reddidit ipſe Spirituale. Hoc formale alii dicerent, illud materiale. Hinc Hieronymus ſcribit in Eſaiam: *Spiritualiter implemus, quæ Iudæi carnaliter.* Cum igitur Iudæi frequentibus uterētur lavationibus & βαπτισμοῖς, unde & quædam in iis ἡμεροβαπτιστῶν ſecta, qui, teſte Epiphanio, credebant, neminem vitæ æternæ futurum compotem niſi qui omni die lavaret. Inde ergo & βαπτισμὸν ſuum Chriſtus ſumpſit, ſed gratiam ei addidit qua carebant βαπτισμοὶ Iudaici. Ad Sacramentum Euchariſtiæ quod attinet ab eodē Chriſto inſtitutum cum ſuum celebraret Paſcha, à more etiā Iudaico non receſſit, quem ſervabant illi in Paſcha legali & pane in eo azymo comedendo. Illi ante omnia poculum vini cui benedixerant ebibebant, & ab eius hauſtu auſpicabantur cœnam Paſchalem. Cœnas quoque Sabbaticas poculo vini benedicto ſolebant initiare. Græci quoque aliquando cœnam à potu inchoabant, & uvido ſtomacho cibos ingerebant, teſte Plutarcho. Vnde & προέπο-

πρόπομα dicebatur illa pars cœnæ, sive potius cœnæ proludium, quo ante omnem pastum bibebant. Antiquiores etiam Græci, ut Macedones, convivis postquam accubuissent, poculum in manũ dabant, quod ante omnia exhauriebant. Plinius lib. XIV. narrat, hoc Tiberio principe institutum fuisse apud Romanos, ut potus antecederet cibos: *externis*, inquit, & *hic artibus ac medicorum placitis, novitate aliqua sese commendantibus*. Intelligit hunc morem à Græcis ad Romanos derivatum. Plutarchus de causis novorum morborum suo tempore hoc consuetum fuisse narrat, ut ante biberent quam ederent: *οἱ δὲ νῦν*, inquit, *ἅπτονται τῆς τροφῆς διαβρόχῳ τῷ στομάχῳ καὶ ζέοντι.* Ita scribendum, non *στόματι.* Inde vox *προπόματα* de his potionibus cibum omnem antecedentibus. Vetustissimi tamen Græci frequentius post cœnam perpotasse quam ante cœnam videntur. Epicharmus apud Athenæum lib. II. hoc ordine epulum narrat processisse; *ἐκ μὲν θυσίας θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο.* *Ex sacrificio epulum, ex epulo*

compotatio. Iudæi in cœna ſua Paſchali & ante & poſt eam bibere ſoliti erãt. A poculo eam inchoabant, & aliquot poculis eam claudebant, quæ poſt cœnam ſiccabant, duo aliquando, interdum vel tria. In ipſa cœna unum tantum hauriebant, quod ſecundum erat. Nam primum ante cœnã exhauriebatur, id eſt, ante ipſam lotionem manuum, tertiam vero poſt ultimam lotionem ac tertiam, qua finiebatur epulum. Nunc igitur quærendum, quando Chriſtus Sacramentum calicis in cœna ſua inſtituerit, cum poculum tradidit diſcipulis, ad ſanciendum novum fœdus & pactum in ſanguine ſuo, utrum in primo potu id fecerit, qui cibum omnẽ antecedebat, an in ſecundo, qui intra cœnam uſurpabatur, an vero in tertio, quem, poſtquam cœnaverãt, ſumebãt. Nec videri debet hæc levis aut nullius momenti quæſtio, ut quidam poſſent exiſtimare. In primo calice, unde auſpicium cœnæ faciebant, putare quis poſſet inſtitutum poculi Sacramentum, adductus auctoritate eorum qui poculi prius mentionem

nem fecerunt quam panis, in Euchariſtia memoranda. Præterea cum Lucas mentionem habeat bis dati à Chriſto poculi, ante cœnam & poſt cœnã, incertum videri poſſet utrũ horũ pro ſigno & pro Sacramẽto ſanguinis datũ eſſet, niſi omnẽ ipſe Lucas ambiguitatem ac dubitationẽ tolleret apud quem Chriſtus in ultimo tradendo dixit, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quæ verba etiam apud Paulum habentur epiſtola priore ad Corinthios cap. XI. ubi unius tantum poculi meminit, & quidem poſt cœnam diviſi, in quo poculo certum eſt dedicaſſe Chriſtum ſanguinis ſui Sacramẽtum, vel novum in ſanguine ſuo teſtamentum. Tunc enim eo tradito etiam addidit, ut id facerent in ſui cõmemorationẽ quotieſcunque illud ebiberent. Non poteſt igitur dici in primo poculo inſtitutum à Chriſto Sacramentum quod ante omnem cibum ſiccabatur, neque in ſecundo quod in ipſa cœna hauriebatur, ſed in ſolo tertio quod poſt cœnã peractam ac lotionem manuum ultimam
ſive

ſive tertiam convivii vel cœnę paſchalis dividebatur. Nam diſertiſſime Paulus & Lucas ſcribũt, μετὰ τὸ δειπνῆσαι poculũ illud accepiſſe Chriſtũ, & diſcipulis dediſſe. Iã de panis Sacramẽto quęri poteſt quo tempore cœnæ illud à Chriſto inſtitutum fuerit. Non enim poteſt dici una cum calicis myſterio ſacratum, & continenter traditum. Quippe cum ſatis conſtet, Chriſtum cœnam tum ſuam ſive Paſcha ſuum celebraſſe ad inſtar moris Iudaici, non videri queat ſimul & uno eodẽq; momento ſtatim poſt panem traditum, dediſſe etiam calicem diſcipulis. Nam poſt cœnam nihil edebant, poſtquam manus nimirũ ultimo lavaſſent ad eam finiendam, ſed bibebant. Ergo cum certum ſit, à cœna inſtituiſſe Sacramẽtum calicis, non tunc inſtitutum ab eo fuiſſe Sacramentum panis, plane debet conſtare. Ante cœnam ipſam, hoc eſt, ante primam manuum lotionẽ nihil etiam comedebant, ſed primum poculum ebibebant. Etſi enim daretur, tum iuſtitutum à Chriſto Sacramentum calicis, in primo nempe poculo
quod

quod ante primam manuum lotionem educebatur, non inde etiam conſtaret, eodẽ temporis puncto panem Euchariſtiæ fractum ab eo fuiſſe, & poculum ſimul datum in continenti. Nam inter poculi primi hauſtum & panis azymi eſum non ſolũ prima lotio manuum intercedebat, ſed etiam acetariorũ deguſtatio, id eſt, olerum amarorum in acetum intinctorum, ſecundi poculi hauſtus, & alia. Inter tertium ſimiliter poculum, & ſecundi panis azymi deguſtationẽ, tertia & ultima lotio manuum interponebatur. Adeo ut non videri poſſit, Chriſtum calicis Sacramentum continenter cum Sacramento panis inſtituiſſe. Inter cœnandum bis de azymo pane guſtabant quanta olivæ eſt magnitudo quam unicuique accumbentium omnium tradebat paterfamilias. Vtrum vero in prima panis azymi deguſtatione, an in ſecunda & ultima quæ paulo ante lotionem manuum poſtremam uſurpabatur, id eſt, ante finem cœnæ, merito dubitari poteſt. Mattheus & Marcus ſimpliciter dixere, ἐσθιόντων αὐτῶν, id eſt, *cœnantibus ipſis*

panem

panem accepisse & fregisse. Quod æque potest de utraq; factione & degustatione azymi panis accipi. Nam utraq; intra cœnandū fiebat. Sed melius tunc à Christo videri institutū panis Sacramentum, cum de secundi panis azymi in duas partes divisi altera parte, quam sub mappa seposuerant convivii, ad instar olivæ magnitudinis fractum distribuebant, postquam nihil amplius edebant. Panis ille fuit rotundus & planus. Ex nostris *tortam* alii vocant, alii *placentam*. Sed neutrum placet. Nam placenta aliud est, etiam torta. Græci ἄρτον πλακίτην vocarunt, nomen Latinum proprium nescio. Matthæus & Marcus non ponūt intervallum inter panis & vini distributionē, quasi utraque inter cœnandum facta sit. Ex quo conjicio, in ultima panis azymi fractione Christum instituisse corporis sui Sacramentum. Nam inter eam & tertium poculum nihil intercessit nisi ultima manuum lotio. Quæ tamen facere potuit, ut panem dedisse visus sit inter cœnandum, id est, cœnantibus, ἐσθιόντων αὐτῶν, poculum vero post cœnam

nam, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, ut Paulus & Lucas ſcripſerunt. Nam lotio manuum finitum indicabat convivium tam apud Græcos quam apud Iudæos. Hi enim videntur, ut illi, non ſolum antequam cœnarent manus laviſſe, ſed etiam poſtquam cœnaſſent. Κατὰ χειρὸς ὕδωρ proprie Greci de prima illa lotione manuum quæ fiebat ante prandium vel cœnam dixere, ut νίπτρον vel χεῖρας νίψασθαι de ea quę poſt cœnã uſurpari ſolita. Quot partibus conſtaret cœna Paſchalis Iudęorum, hic etiam obiter libet diſquirere, quia docti de ea certarunt. Scaliger lib. VI. de Emendatione temporum, capite de Reſiduis Dominicæ paſſionis, ſecundas menſas cœnæ paſchali Iudæorum tribuere videtur, eaſque multum diſcrepantes ab aliorum ſollemnium menſis. Verum illæ ſecundæ menſæ nullæ fuerunt in cœna Paſchali. Cum enim conſtarent ſecundæ menſæ ex bellariis & dulciis, non licuit talia uſurpare in tali epulo quo, amarorum uſu triſte, quale in Aegypto paſſi erant, ſervitium teſtabantur. Perperam etiam ibidem notat Scaliger, in locum bella-

bellariorum afferri solitum in tryblio acetarium ex intybis, & lactucis agrestibus; quorum quia tristis succus & amarus; propterea ex aceto ac aliis nescio quibus embamma conficiebatur, in quod azyma & amara illa olera intingebantur. Eiusmodi quippe acetaria & olerum amara in acetum intincta non potuere vicem bellariorum & pemmatū obtinere, quæ initio cœnæ paschalis statim sumebantur, cum bellaria in secundis mensis post primas locum haberent. Præterea dulcia sive mellita pemmata cum amaris herbis nihil habent affine. Falsum etiam quod idem observat ibidem, in Paschali epulo convivis interdictum esse omni genere bellariorum: quod probare satagit ex canone rituali, אין פטירין אחר פסח אפיקומן. Quod ipse interpretatur his Græcis, μετὰ τὸ πάσχα ἀπολύουσι τὸ δεῖπνον ἐπικώμιῳ. Nec enim hic sensus est illorum Hebraicorum: Nec vox ἐπίκωμον pro bellariis ibi debet sumi, quamvis Iudæi recentiores in hac significatione positam scripserint. Secundæ nullæ mensæ, ut dixi, in Pascha

ſchate Iudæorum fuerunt, nec ullas in ſuo Chriſtus ſibi adpoſuit. Terna lotione manuum peragebatur illud epulum Paſchale Iudaicum, quæ tres lotiones duas partes cœnæ includebant. Cum enim illi, ut & Græci, & ante cœnam & poſt cœnam lavarent manus, in una cœna cum hoc bis fieret, ſi duæ quaſi cœnæ haberentur, aut ſi una in duas partes dividua quaſi fieret, tum tribus lotionibus manuum opus erat. Tota cœna Iudaici Paſchatis primæ menſæ inſtar habuit, cui ſecunda ex bellariis non adiungebatur. Sed illa prima menſa fuit quodammodo bipertita. Nam cum ter lavarent manus, inter primam & ſecundam lotionem prima pars cœnæ conſtitit, inter ſecundam & tertiam, ſecunda. Primæ menſæ Romanorum etiam ex duabus partibus conſtabant, una *Antecœna*, dicebatur, & *Guſtus*: altera, *Cœna*. In Antecœna vel Guſtu adponebantur lactucæ, & alia cruda olera, oxygarum, oſtrea cruda, etiam turdi, etiam gallinæ altiles, ut in cœna Pontificia apud Macrobium. In cœna vero ipſa omne ge-

nus carnium & aliorum edulium. In Epigrammate Martialis XLVIII. lib. X. Gustus sive Antecœna cõsistit in lactuca, porro sectili, mentha, ovis, lacertis rutatis; Cœna, in hœdo, ofellis, faba, prototomis, pullis & perna. Post quæ sequitur secunda mensa, quæ in pomis. *Saturis*, inquit, *mitia poma dabo*, id est, secundam mensam. Quæ & tertia possit numerari, si prima pro duabus numeratur. Tertiam etiam mensam hoc sensu apud Latinos legere est, quæ secunda tantum est, cum duæ partes primæ pro una cœna computantur, ut solitum fieri sæpius. Prima pars cœnæ Paschalis Iudaicę quę inter primam & secundam lotionem manuum apponebatur, respondet plane Antecœnæ sive Gustui cœnæ Romanæ. In ea herbæ amaræ quippe, etiam agnus paschalis, & hostię illius diei carnes apponebantur convivis: secunda vero à manuum altera lotione patẽs usq; ad tertiam cœnæ ipsius iustæ instar habebat, quia in ea omne genus eduliũ & carnium appositum affatim vescebantur. At potiones quę ebibebantur post lotionem

tionem ultimam manuum, extra cœnam prorsus fuerunt; & libationi veterum conveniunt quæ non post secundas mensas, sed plane post primas celebrari sueta, ut ex Virgilio apparet lib. 1. ubi post primam epularum quietem & mensas remotas, id est, post primam mensam peractam, crateres magni statuuntur, & ipsa Dido in mensa laticum honorem libat.

Primaq; libato summo tenus attigit ore;
Tum Bitiæ dedit increpitans.

Et errat Scaliger, qui tradit, apud Romanos mensis secundis libari solitum, & potiones in calice circumferri, quod post primas mensas semper factitabatur. Nec locus Virgilii de Rhodia eum adiuvat,

Non ego te Diis & mensis accepta secundis
Transierim, Rhodia.

Non enim Poeta propterea dixit uvam Rhodiam Diis & mensis secundis esse acceptā quod vinum ex ea generosissimum conficeretur, proinde dignum in mensa secunda Deorum libamentis impēdi. Diis secundis, & mensis secun-

dis eam acceptam dicit, quia vinum ex ea libabatur Diis secundis & propitiis, sive ut secundi essent & propitii. Eadẽ mensis secundis grata etiam erat, quia ex ea passulæ optimæ conficiebantur, quarum usus fuit in mensis secundis. Et recte Philargyrius ita intellexit. *Mẽsis*, inquit, *secundis, quæ post inferuntur: per quod significat & esui & potui bonam.* Deos autem secundos interpretatur propitios, ad quos nempe propitiandos libamenta ex vino Rhodiæ erant acceptissima. Male etiam idem Scaliger ita duplicem cœnam Paschalem Iudæorum fuisse censet, ut in priore hostiis immolatis vesci solitos dicat, in posteriore cani ἐξιλαστικὰ & δὴ χαριστικὰ, & vocari δεῖπνον ἀπολυτικὸν, sive cœnã dimissoriam, מעורה מפקת, *quæ erant*, inquit, *veluti secundæ mensæ apud gentiles.* At illæ potiones quas exhauriebant Iudæi post tertiam lotionem manuum, tertia, quarta & quinta, extra cœnã plane esse censebantur, nec partem eius constituebant. Sed neque illæ libationes veterum Græcorum & Romanorum inter cœnandũ in prima mensa

mensa fiebant, sed postquam cœnavissent, primis mensis remotis. Sic apud Virgilium lib. VIII, cum Euander Aeneam convivio ex sacrificio quod Herculi paraverat accepisset, postquam exempta fames epulis mensæq; remotæ, id est, post primas mensas sive cœnam finitam, libatio demum sequitur, in his verbis,

-- & porgite pocula dextris.
Et sacer implevit dextram scyphus: ocius omnes
In mensam læti libant, Divosque precantur.

Post libationem mensa secunda adponitur, ut ex his verbis quę sequuntur apparet:

Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt.

In cœna autem Paschali Iudæorum cum nullæ mensæ secundæ adhiberentur, pocula illa quæ post finem primæ ex duabus, ut dixi, partibus constantis solebant à convivis cum gratiarum actione & ὑμνῳδίᾳ evacuari, libationum instar obtinebant gentilibus usitatatum.

tum. Ab illo autem epulo Paſchali non licebat alio ire comiſſatum, nec ad aliorum convivia ſe conferre, ut mos etiam fuit Græcis, nec minus Iudæis, ſed in alio genere epularum quam Paſchalium. Hoc enim illis tum interdictum fuit. Græci & alii Orientales poſtquam epulati eſſent, conſueverant ire ἐπὶ κῶμον, id eſt, ad amicos, aut amicas, poſt cœnam cum cœtu ſe transferre, & cum ſtrepitu & cantu ædes introire, & ibi epulas inſtaurare. Quod etiam κωμάζειν uno verbo dicebatur, & Latini ex eo *comiſſare*. Vt apud Terentium in Eunucho,

--ſi quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comiſſatum, tu Pamphilam
Cantatum provocemus.

Optimæ Gloſſæ recte interpretantur, *Comiſſatum*, ἐπὶ κῶμον. Apud Ariſtophanẽ hoc dicitur ἐπὶ κῶμον βαδίζειν, & uno verbo ἐπικωμάζειν. In codice Talmudis capite de Paſchate duæ omnino ſunt voces, non una, אפי קומן, ἐπὶ κῶμον. Non igitur illo canone bellaria veta-

ban-

bãtur in cœna Paſchali, ſed ne de uno quis cõvivio ad alterũ migraret, quod eſt ἐπὶ κῶμον. Quod verba Hebraica quibus cõceptus eſt plane demõſtrant, ut ſe habent hoc modo, אין מפטירין אחר פסח אפי קומן, id eſt ad verbum, μετὰ τὸ πάσχα οὐκ ἀποπέμπουσιν ἐπὶ κῶμον. *Poſt Paſcha non dimittunt*, id eſt, *non ſinunt ire* ἐπὶ κῶμον, *comiſſatum*. Non enim aliter licet exponere. Recte etiam Gemaræ Babylonicæ auctor ea verba interpretatus eſt de tranſlatione & traductione cœtus in cœtum, מחבורה לחבורה ἀπὸ φρατρίας ἐπὶ φρατρίαν, à convivio in quo una φρατρία epulata eſt, ad convivium in quo altera epulatur. Nimirum non vult in duobus locis celebrari & edi epulum Paſchale. Quod plane eſt ἐπὶ κῶμον ire. Nam κῶμος eſt inſtauratio epularũ apud alium ab iis qui iam apud ſe domi ſuæ ſunt epulati. Vnde & κῶμον etiam συμπόσιον interpretantur Grammatici. Non tamen eſt ſimpliciter convivium, ſed poſt cœnam epularum redintegratio, ſupervenientibus amicis ita poſtulantibus. Vnde Epicharmus apud Athenæum à ſacrificio epulum ſe-

qui facit, ab epulo compotationem, à computatione κῶμον, id eſt, comiſſationem. ἐκ μὲν θυσίας θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις, ἐκ δὲ πόσιος κῶμος. Vnica autem voce ἐπίκωμος idem eſt plane quod ἐπικωμαστὴς, nempe ὁ ἐπὶ κῶμον βαδίζων, qui comiſſatum it. Poſteriores Rabbini quia non intellexerunt illam loquutionem Talmudicã, quam à Græcis ſumpſerunt, ut & morem ipſum *comiſſandi* qui vetatur in cœna Paſchali, & pro duabus vocibus unam fecerũt, & de bellariis eam acceperũt, ſumma imperitia. Verum de his alibi. Certe ex hac prohibitione in duobus locis edendi agni Paſchalis videretur etiam mos ille improbandus qui aliquando in Eccleſiam invaſit bis in die & ter cõmunicandi, quẽ etiam vetera ignoravere Eccleſiæ tempora. Iam vero ex his quæ diximus conſtat, non tempore continenti Sacramenta panis & vini à Chriſto inſtituta eſſe, ſed illud in cœna ipſa, id eſt, ἐσθιόντων αὐτῶν, ut Matthæus & Marcus docent, cum adhuc cœnarent, hoc vero poſtquam cœnaſſent, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, ut Paulus & Lucas affirmant.

Quo

Quo minus excuſandi ſunt qui ex duobus Sacramẽtis, ut ante docuimus, alterũ detraxerũt. An minus enim duo hęc Sacramẽta cenſenda quæ ſeparatim & cum aliquo medio intervallo inſtituta ſunt, quã Baptiſmus & manuũ impoſitio ſive Confirmatio, quę in primitiva Eccleſia continenter & ſine interſtitio tẽporis conferebantur? Cũ autem Lucas duplicis calicis à Chriſto accepti & traditi meminerit, quod primo loco poſuit id erat poculum quod ante cœnam ipſam & lotionẽ manuum à convivis exhauriebatur. Vltimũ vero, cujus mentionem fecit poſt panis diſtributionem, ab eodem Chriſto in ſignum ſui corporis & Sacramentum factum, reſpondet tertio vel etiam quarto poculo, quod poſt omnem cibum, cœna iam finita à lotione tertia manuum Iudæi circa mediam noctem ebibebant. Apud hunc Euangeliſtam cap. XXII. verſ. XV. dicit Chriſtus ſe deſideraſſe Paſcha cum diſcipulis ſuis edere priuſquam pateretur. Et ſequente verſiculo ait, *ſe non amplius eſſe manducaturum illud donec impletum eſſet in regno Dei.*

Sequitur deinde protinus, *Et accepto calice gratias cum egiſſet dixit, accipite hoc & dividite inter vos.* Hoc eſt primum poculũ à quo Iudæi auſpicabantur ſuum Paſcha. Nec dubium eſt quin Chriſtus Paſcha cum ſuis diſcipulis edens, eadem obſervaverit quæ ſolebant in ea cœna obſervare ipſi Iudæi. In hoc igitur primo & initiatorio poculo non dedicavit Sacramentum ſui ſanguinis. Sed pro more ſimpliciter cum benedixiſſet illud poculum, Apoſtolis præcepit ut acciperent ac dividerent inter ſe. Nam ſic paterfamilias Iudęus in Paſcha legali edendo ſolitus factitare. Verſiculo XIX. accepto pane cum benedixiſſet, fregit, & tradidit ipſis, dicens: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, Hoc facite in mei commemorationẽ.* In ipſa cœna videtur hoc omnino feciſſe, & hoc ex more, ut dixi, Iudaico, quo paterfamilias panem azymũ accipiens benedicebat, frangebat, & diſtribuebat convivis. Sed Chriſtus in eo more obſervando benedicendi panis, & frangendi, & diſtribuendi ſanxit Sacramentum corporis ſui

ſui, & dicendo cum panem traderet Diſcipulis, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in mei commemorationē.* Subiicitur apud Lucam verſiculus xx; ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων, τοῦτο τὸ ποτήριον. Eadē ferme verba ſunt quæ apud Paulum leguntur. Vbi & diſertis verbis μετὰ τὸ δειπνῆσαι, poſtquā cœnaſſent, de poculo dicitur, quod non dictum eſt de pane. Nec enim illud ὡσαύτως ad μετὰ τὸ δειπνῆσαι referendum eſt, ut ſimiliter poſt cœnā poculum benedixerit ut & panem, ſed ad rem ipſam & benedictionem calicis, ut nimirum idem in poculo fecerit quod & in pane, ſed in poculo poſt cœnam, in pane inter cœnandum. In hoc igitur ultimo poculo quo cœna Paſchalis apud Iudæos claudebatur, ſanxit novi fœderis ſui teſtamentum ſanguine ſuo firmatum, & in calice ſignificatū. Non defuere tamen ex antiquis, qui teſtimonio Lucæ freti crediderunt Chriſtum in primo cœnæ poculo, cuius mentionem idem facit Euangeliſta, quod pręmiſſum eſt inſtitutioni Sacramenti panis, calicis Sacramen-

cramentum dedicaſſe. Sic enim Iovius Monachus ſcribit apud Photium, ubi hoc ordine Sacramenta Chriſti à fidelibus percepta oſtendit: καὶ οὐ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν ἡ παλαιὰ μόνον προὔγραφεν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἄλλην ἀκολουθίαν. Καὶ γὰρ ἐνταῦθα πρῶτον βαπτιζόμεθα, εἶτα τῷ μύρῳ χριόμεθα, ἐκεῖθεν τοῦ τιμίου ἀξιούμεθα αἵματος. *Et non dierum duntaxat numerum præſtruxit Vetus Teſtamentum, ſed etiam ordinem reliquum. Nam primū nunc Baptiſmo initiamur, deinde Chriſmate ungimur, poſtea pretioſo ſanguine participamus.* Solum nominat ſanguinem pro toto Sacramento Euchariſtiæ, quia in ea eius Eccleſia prius communicabāt calici quam pani, ut videtur. E contrario ubi pani prius communicabatur, quod erat magis commune & frequēs, ſæpe panis pro tota Euchariſtia ponitur cum tamen & calicis Sacramentum etiam poſt panem fuiſſe ſumptum intelligatur. Quemadmodum hic apud Iovium, qui præponendum eſſe vult calicis Sacramentum, & hunc ordinem magis probat, pro integro Sacramento quod ex duabus partibus conſtabat,

prio-

priorem tantum partē posuit, quæ est calicis, quia priorem esse debere existimavit. Hunc ordinem ex ritu veteris Testamenti, meliorem esse adstruere vult. *Sic enim Moses*, inquit, *hæc adumbrans, primo aqua lavat eos qui sacrantur, deinde induit ac præcingit, postea confert iis olei unctionem, & tum sanguine adspergit, atque ita demum ad panum participationem traducit*. Οὕτω δὴ καὶ Μωσῆς σκιαγραφῶν ταῦτα, λούει πρῶτον τοὺς τελουμένους ὕδατι, εἶτα ἐνδιδύσκει καὶ περιζωννύει, εἶθ' οὕτως ἐπιφέρει τὴν τοῦ ἐλαίου χρίσιν, καὶ οὕτω ῥαίνει τῷ αἵματι, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἄρτων ἄγει μετάληψιν. Subiicit statim, ea gratia & Lucam in Euangelio scribere, primum à Domino calicē benedictum fuisse, & postea fideles panis participes esse factos. Paulum vero Apostolum interdum calicis benedictionem præmittere, aliubi vero panis benedictionem ei subiicere. De quibus nos iam supra. Eum ordinē calicis pani præmittendi, firmari etiam contendit ratione naturali, quia in generatione hominis sanguis prior est, ex quo caro formatur. Quæ frivola sunt. De Luca iam

ca iã docuimus, cum bis calicis à Christo benedicti mentionẽ faciat, ante & post panis benedictionẽ, in solo ultimo Sacramẽtum sanguinis sui eum constituisse. Paulum autẽ, & si qui alii præposuerunt mentionem calicis, ideo fecisse, quod pars esset ea nobilior totius Sacramenti, de qua sola Christus ipse dixerit nominatim, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hic est calix novum testamentũ in sanguine meo, quod pro vobis funditur.* Auctor Epistolæ ad Hebræos cap.x.vers.xxix. solum sanguinẽ nominat, ut puta quod esset unus maximi momenti & instar duorum, τὸ αἷμα τῆς διαθήκης. *Quanto*, inquit, *putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, & sanguinẽ Testamenti pollutũ dixerit, in quo sanctificatus est, & Spiritu gratiæ contumeliã fecerit?* Τὸ αἷμα τῆς διαθήκης in calice sancitum fuit, & Testamentũ novi fœderis factum. *Testamentum Novum*, inquit Ambrosius, *sanguine Christi constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad*

tuitio-

tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Qui præposuerunt itaque calicem pani in tradenda institutione Eucharistiæ, non tanquã prius ordine poculum spectarunt, sed tanquam merito & dignatione præstantius. Hæc cum ita sint, quo iure eam partem Sacramenti tam sancti nobiliorem sustulerit Pontifex, si quis quærat, nullo factum inveniet, immo summo & piaculari facinore. Scilicet qui se vicarium Christi dicit Papa, ipso Christo se sapientiorem putavit esse, quasi superfluum esset, sanguinis seorsim in calice Sacramentum instituere, cum corpus sanguine suo destitutũ non videretur. Satis itaq; fuisse corporis Sacramẽtum tradere quo carnis simul & sanguinis qui per cõcomitantiam cum carne esse intelligitur, traditũ existimari debuit mysteriũ. Nunc Christi factũ adversus Antichristi placitũ defendamus, & doceamus, quid sequutus sit Dominus noster, & quam rationem habuerit instituendorum separatim corporis & sanguinis sui in pane & vino Sacramentorum. Hostia fuit ille vera, qua finem impo-

imponere voluit omnibus ſacrificiis legalibus, offerendo ſe in ſacrificium Deo Patri pro redemptione generis humani, & mortem crucis patiendo. Hoſtia autem nulla fuit ſine ſanguinis effuſione. Omne quippe quod animam habens immolabatur, eam amittebat ſanguine effuſo. Duæ igitur ſunt partes hoſtiæ immolatæ; caro & ſanguis. Utraque ad veſcendum utebãt urgentes. Ex ſanguine botulos & αἱματίας conficiebant, & ἀλλᾶντας, quæ farcimina erãt ſanguine inculcata. Hebræi ſolis carnibus victimarum veſcebantur, ſanguine non item, quem in cibo illis uſurpare vetitum pręcepto divino, etiã Noacidis dato. Sanguis igitur illic præcipua pars victimę utpote in quo eſſet anima, qua Deus placabatur. Nam qui ſacrificabant, pro corpore ſuo carnem victimæ offerebant, pro anima ſanguinem. Ambroſius in Epiſtolam ad Corinthios priorem cap. XI. *Caro Salvatoris pro ſalute corporis; ſanguis vero pro anima noſtra effuſa eſt, ſicut prius præfiguratum fuerat à Moyſe. Sic enim ait. Caro*, inquit, *pro corpore veſtro offertur; ſan-*

ſanguis vero pro anima. Sic cum duabus conſtet partibus victima quæ Deo offertur, ſanguine & carne, præcipua eſt ſanguis, quia victimam dum effunditur facit, eam vita privādo. Sanguine victimæ Deus placari cenſebatur tam apud Iudæos quā apud Gentiles. In ſanguine vita & anima. Græci, αἷμα, τὸ ζωτικὸν τοῦ ἀνθρώπου. Servius notat in Aeneidē III. *Sāguinē eſſe veluti animæ poſſeſſionē; unde exangues mortui dicantur*. Inde mos veterū sāguinis inſerēdi ad alliciēdas defunctorū animas ea ratione tractus, ut quod amiſerant viderētur accipere. Idem eodem loco: *Anima ſine ſanguine nunquam eſt; quo effuſo recedit*. Inde apud Poetas; *ſanguineam vomere animam*, id eſt, ſanguinem. Et *animam effundere*, pro ſanguine. Hanc rationem reddit & Moſes cur ſanguinis eſum Deus vetuerit, ἡ γὰρ ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστι. *Nam anima omnis carnis ſanguis eius eſt*. Ideo ſanxerat ut ſanguis; id eſt, anima pecudis, pro anima hominis Deum placaret & propitiaret, Καὶ γὰρ ἐδωκα αὐτὸ ὑμῖν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, τὸ γὰρ αἷμα

ὠπτὸ ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. Eadem opinio etiam gentes tenuit, ſanguine pecudum piari ſcelera, & Deo ſatisfieri, quaſi animam hoſtiæ pro ſua darent. Hinc *ſanguine imbuere* & *tingere aras*, paſſim apud Poetas. Virgilius:

Sāguine placaſtis vētos & virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras.
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica.

In quibuſdā ſacris immolabatur homo pro alterius anima, ut vicariam pro eo mortem obiret, eorum ſacrorum ratione promittente eius vitam prorogatū iri totidē annis quot ille qui voluntarium pro eo fatum ſubibat, de ſuis amiſiſſet. Hi ἀντίψυχοι dicebātur, quod animam ſuam pro alterius anima darent. Ita ferunt Adrianum curaſſe immolādum delicium ſuum Antinoum. Sic Diomedeæ aves ἀντίψυχοι appellatæ, quæ quotannis ſanguine ſuo parentabant manibus Diomedis. Præcipua itaq; & principalis pars hoſtiæ, ſanguis, utpote in quo eius anima eſſet quæ ſola

ſola dabatur ac offerebatur divino numini propitiando, caro autem ipſa cedebat ad veſcendum Sacerdotibus, ut ipſe Paulus dicit in priore ad Corinthios cap. x. οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί? Qui ſacrificia comedunt ii ſunt, qui veſcuntur carnibus ſacrificiorum, id eſt, hoſtiarum immolatarum. Aliquando & ipſa caro victimę ad expiationẽ offerebatur, non ſolus ſanguis, ut in holocauſtis, ſive ὁλοκαυτώμασι, ſic dictis quod etiam corpus victimæ cõbureretur totũ in altari. Siquid ex ea reſtaret, Sacerdotes id cõſumere debebant, non quiſquã de Laicis. In aliis vero ſacrificiis ſolo ſanguine expiatio fiebat. Hinc *ſanguis* dũtaxat nominatur in expiationibus pro peccatis apud Moſem, qui poſtquam præcepta omnia legis populo recitaſſet, accepto vitulorum ſanguine & hircorum, eo aſperſit populum & librum ipſum, dicens: *Hic ſanguis teſtamenti quod mandavit vobis Deus.* Ad cuius inſtar & Chriſtus cum Sacramentum ſanguinis inſtitueret in calice, ita etiam dixit, *Hic calix Novum Teſtamentum eſt in meo*

sanguine. Si sanguis taurorum & hircorum, inquit Paulus ad Hebræos cap. IX, *aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo enundabit conscieutiam vestram? Non enim*, inquit idem, *per sanguinem hircorum & taurorum, sed per proprium sanguinem introivit in Sancta æterna, expiatione reperta*. Ita habet vetutissimæ versionis antiquum exemplar. Ex his omnibus patet, cur non solius corporis sui, sive carnis suæ, Sacramentum in pane Christus instituerit, sed etiam sanguinis in vini calice. Cum enim se hostiam Deo pro peccatis nostris obtulisset, hostiæ autem sanguis ad expiationẽ solus proficeret, non debuit omittere principalẽ sui partem qua generi humano redemptionem peperit. Nulla enim hostia sine effusione sanguinis, οὐ χωρὶς αἵματος, ut loquitur Paulus in Epistola ad Hebræos cap. IX. ubi de eo loquitur sacrificio, quod semel pro se & pro populo offerebat summus Pontifex. Corporis autem sui etiam Sacramentum con-

conſtituit, non etiam ſanguinis, quia tanquā holocauſtū in cruce immolandū ſe dedit, in qua corpus ſuum nō ſine effuſione ſanguinis Deo pro redēptione noſtra obtulit. Ita animam ſimul & corpus pro anima noſtra & corpore morti addixit, ut illi qui immolari ſe patiebantur quibuſdā ſacris, ut vicaria morte amicorū fata proferrēt, quos ἀντιψύχους dictos ſupra notavimus. Ariſtides in ſacris orationibus, ὅτι φιλουμένη ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, καὶ σῶμα ἀντὶ σώματος ἀντιδέδωκεν. Ita fecit pro nobis Chriſtus, corpus pro corpore noſtro dedit, animam pro anima, ſanguinem pro ſanguine. Hinc & miraculoſa illa & extraordinaria eius in cruce fixi è latere lancea traiecto, etiam poſtquā expiraſſet, effuſio ſanguinis, ut ſic tanquam hoſtia vera non ſine ſanguine offerretur. Aliis enim cruciariis crura infringi ſolebant, non latera lancea perforari. Idque factū & illis latronibus qui cum ipſo cruci affixi fuere. Hoc cum prædiceret futurum de ſe Chriſtus pridie quam pateretur, & vellet paſſionis ſuæ memoriā ſymbolis quibuſdam conſi-

gnatã relinquere & tradere Apostolis & per eos omnibus in eum credituris, in pane typum dedit corporis sui in cruce sequenti die suffigendi, & in vino sanguinis, qui nimirum è latere eius effluere debebat. Idcirco & primitiva Ecclesia in Sacramento calicis vino aqua mixta usa est, quia aqua simul cum sanguine è latere Christi profluxisset. Cum igitur symbolum eius corporis quod in cruce pro nobis frangi debebat daret, & eius sanguinis qui ex eo esset effundendus similiter figuram in calice vini traderet, & per ista symbola vellet commemorationem passionis suæ consecrari, & concelebrari, ut quotiescunque hoc fieret à fidelibus mortẽ suam adnuntiarẽt donec veniret, in illo corpore Christi cuius typum præfert panis sacramẽti, nulla potuit nec debuit concomitantia sanguinis cogitari. Nec propterea debuit removeri calicis sacramẽtũ velut superfluum, quasi nimirũ & corpore sanguinis ipse contineretur. Diximus, hostiam immolatam duabus partibus constitisse, carne sive corpore, & sanguine. Carne eius vescebantur qui eam

cam immolaverant, non item ſanguine, quia ſanguinis eſus interdictus lege erat. Ergo carnem hoſtiæ è qua ſanguis effuſus fuerat, quaſi ſanguine vacuam comedebant. Non enim ſi aliquid ſanguinis in ſe habere eam credidiſſent, ad cibum uſurpaſſent. Nam & ſuffocata animalia nefas habuerunt edere, aut cum ſuo ſanguine mactata, aut à feris capta, aut ſponte mortua, ſed illæ tantum quæ effuſo ſanguine forent occiſa. Chriſtus inſtituendo ſacramenta corporis & ſanguinis ſui ſe tanquam hoſtiam ſpectavit, cuius corpus à ſanguine ſeparatum eſt, & ſanguis è corpore profuſus. Mortem ſuam & paſſionem ea inſtitutione adnuntiari & commemorari voluit quoties à fidelibus celebraretur. Τοῦτο, inquit, ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Hoc facite in meam commemorationem*, cum panẽ diſcipulis traderet. In tradendo ſimiliter poculo dixit, Τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Hoc facite quotieſcunque biberitis in meam commemorationem.* Paulus ipſe ſubiungit his Chriſti verbis iſta ſua quibus inſtruit Corinthios de

hoc Sacramento, Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annũtiabitis donec veniat.* Christus ipse cum traderet panem dixit, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα κλώμενον, & cum traderet calicem, τοῦτο τὸ αἷμα τὸ ἐκχυνόμενον. Corpus fractum, & sanguis effusus, tanquam hostiæ vere immolatæ duæ sunt partes essentiales, sine quibus mors Christi, qui sic eam per symbola panis & vini voluit consignatam, non potest rite annuntiari & commemorari. Passio quippe eius & in fractione corporis consistit per clavos quibus cruci affixus fuit, & in sanguinis effusione. Vt duæ hæ quasi passiones in eius morte & sacrificio cõtigerunt, ita & duo signa per quæ denuntiarentur & commemorarentur esse debent. Qui alterum demit, etiam passionem Christi parte una deminuit, & quidẽ potiore, quia sanguis Christi nos redemit, ut victimæ veræ pro nobis Deo patri oblatæ. Meritum sane mortis Christi abrogat

qui

qui præcipuam eius causam tollit, nempe sanguinem pro nobis effusum. At qui corporis tantum symbolum in cœna Dominica relinquit, corpus ipsum proponit integrum & incolume cum sanguine suo, non effuso. Vt hostia sit, debet seorsim esse sanguis, seorsim corpus & caro. Christus cum in cœna Paschatis corpus suis proposuerit in panis figura, & sanguinem in typo calicis, cum hæc inquam duo separaverit, ibi corpus sine sanguine suo, ut in Paschæ agno immolato pro nobis, debet accipi. Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν, inquit Paulus, ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη Χριστός. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*, id est, agnus Paschæ. Cuius memoriam celebrandam in duobus symbolis panis vini, illius fracti, huius effusi in calicē, per hæc duo inquam signa passionis suæ totidem mysteria in corpore fracto & sanguine effuso dedicavit. An solidam & perfectam illius passionis cōmemorationem facere videntur qui in corpore solo vel corporis symbolo eam faciunt, succi sui & sanguinis pleno, contra præceptū & institutionem Domini

& contra ipsius passionis rationem ac naturam, quæ ita duplex signum requirit, ut ipsa geminata est corporis fractione & sanguinis effusione? Vbi sanguis est à corpore separatus, ibi corpus est sine sanguine, quale in cruce pependit exanime & mortuum, à quo & sanguis effusus est. Ita celebrari debet memoria Dominicæ passionis, ut ipse instituit, & tradidit, ut ipse hostia pro nobis oblatus est in corpore exanimi & exangui, & in sanguine extra corpus suum profuso, cuius sacrificii & duo symbola nobis per Apostolos suos tradidit, panem & calicem. Cum igitur dixit, in pane tradendo, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, quale corpus pro nobis datum sit, non quærendum. Nam in promptu est pro nobis cæsum, in cruce oblatum & fractum. *Carnem* vocavit ipse apud Iohannem cap. VI. vers. LV. Oʻ τρώγων μου τὴν σάρκα, *qui manducat meam carnem*. Non manducatur caro nisi mortua, nisi hostiæ immolatæ. Pascha nostrum est corpus Christi, ut corpus agni erat Pa-

ſcha Iudæorum. Eius immolati carnem edebant,ut noſtri Paſchatis carnem comedimus. Sed quomodo? In pane nimirum, quem ſui corporis ſive ſuæ carnis ſymbolum eſſe voluit, & quem comedentes, carnem Chriſti ſpiritaliter manducamus. Nec enim aliter poſſumus. Cum dixit, λάβετε, φάγετε, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, de corpore ſuo vel carne intellexit, quæ tanquam hoſtiæ rumpi pro nobis debuit in cruce, quaſi in altari. Ita σῶμα accipitur pro corpore exanimi & exangui proprie. De qua voce ſic Græci. Σῶμα, πᾶν τὸ τεθνηκὸς παρὰ τοῖς παλαιοῖς, δέμας δὲ τοῦ ζῶντος λέγεται, διὰ τὸ συνδεδέσθαι τῇ ψυχῇ. *Hæc vox* σῶμα *apud antiquos de omni exanimi dicitur*, δέμας *de vivente, quod colligetur cum anima.* Sic accipitur in novo Teſtamento aliquot locis. Vt apud Matthæum XIV. verſ. XII. ἦραν τὸ σῶμα καὶ ἔθαψαν αὐτό. de Iohanne Baptiſta. Et Lucæ XVII. verſ. XXXVII. ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. *Vbi corpus, ibi congregabuntur aquilæ.* Id eſt, ubi cadaver. Latini quoque *corpora* vocāt defunctorū. Vt in illo verſu apud Poetam:

Poetã: *Scuta virum galeasque & fortia corpora volvit.* Nempe exanima, mari fluitantia. Inde & *corporicida* pro lanione qui facit corpora vel cædit. *Carnifex* olim dicebatur à carne facienda. Ita & *sanguinem facere* dixerunt pro effundere. Vnde apud Ovidium: *Et queritur factum sanguinis esse parum.* Caro Latinis etiã de mortua & viva. Hinc illud Martialis: *Carnarius sum, pinguiarius non sum.* Græcis σὰρξ & pro viva & pro mortua. Passim in versione Bibliorum σὰρξ pro viventibus, ut πᾶσα σὰρξ de omni homine vivente. Hinc σαρκικοὶ carnales, qui corporis voluptatibus dediti sunt, quiq; opponuntur πνευματικοῖς, spiritalibus. Hebræi בשר vocant. Hinc τὴν σάρκα ἁγνὴν τηρῆσαι apud Clementem in Epistola posteriore, *Corpus suum sanctum conservare.* Capitur & pro mortua vel cæsa victima, ut σὰρξ τῶν θυσιῶν Paulo. Latini *carnem victimarum* dicunt. Quo sensu & carnem suam vult edi Christus, & σῶμα in cœna sua sub symbolo panis edendum tradidit discipulis. λάβετε, φάγετε, *accipite, manducate.* Etiam hominem viventem in carnem

carnem & ſanguinem diviſit Chriſtus Matthæi XVI. verſ. XVII. ut Græci in *corpus* & *animam*, cum Petrus dixiſſet eum eſſe Chriſtum filium Dei viventis. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.* In homine vivente caro & ſanguis coniuncta ſunt, quæ in cæſo ſeparantur, ſanguine ex carne effluente. Ita ergo & Chriſtus ſub duobus ſymbolis panis & vini duas partes ſui, velut hoſtiæ aut agni vere Paſchalis, ſacravit, corpus & ſanguinem. Σῶμα in agno paſchali, נפשׁ vel גוף dicebant Iudæi. Nam cum imponebant eum menſæ, dicebant, ſicut iam adnotatum eſt à viris eruditis, גופו של פסח, id eſt, *Corpus ipſius Paſchæ*, nempe agni Paſchalis. Sic enim & Paulus Dominũ noſtrum πάσχα ἡμῶν vocavit, *paſcha noſtrum*, ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη. גוף autem corpus exanime, ut eſt cæſæ hoſtiæ vel hominis occiſi, ſignificat. Vnde in Paralipomenis גופת שאול, ubi & ſeptuaginta σῶμα reddiderunt, ἔλαβον τὸ σῶμα Σαοὺλ. Calicis autem Sacramentum quamvis ordine poſterius ſit, utpote poſt cœnam à Chri-

à Christo institutum & post ultimam
lotionem manuum, cum quartum po-
culum & ultimum ex more ebiberent,
prior autem fuerit panis benedictio &
pro corpore traditio, ut quæ inter cœ-
nam ipsam & inter manuum ultimam
lotionē celebrata fuerit à Domino, spe-
ciali dignatione tamē primas ferre de-
bet calix, qui sanguinem repræsentat
Christi, & passionis ipsius mortisq;, vel
solus, possit esse μνημόσυνον. Inde & ante
panem ab Apostolo ipso & aliis patri-
bus sæpe nominatur, aliquando & so-
lus pro toto Eucharistiæ sacramento.
Nam & *sanguis* דמי, apud Hebræos pro
morte vel cæde. Vnde illis ex impre-
cationis & deprecationis formulę, *San-
guis eius super nos sit. Sanguis eius super
caput eius sit.* Sed & Ecclesiam sangui-
ne Christi acquisitam dixit Lucas in
Actis cap. XX. vers. XXVIII. ποιμαίνειν
τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ
τοῦ ἰδίου αἵματος, *Ecclesiam pascere Dei, quam
proprio sanguine acquisivit.* Cur igitur
hodie Ecclesia Christi quam ille san-
guine suo redemit & sibi abquisivit
non fruitur Sacramento Dominici san-
guinis

guinis, cui idem Chriſtus communicare Eccleſiam ſuam voluit ſub calicis ſymbolo, ſicut ipſe inſtituit? Cur poſtremi eius teſtamenti nunc particeps non eſt, quod novum dicitur conſtituiſſe in ſanguine ſuo, cum calicem daret diſcipulis, apud Paulum & Lucam? An *Eccleſiaſtici* qui hodie vocantur, ſoli faciunt Eccleſiam, ne ſoli videantur meriti qui integra percipiant corporis & ſanguinis Dominici Sacramenta, dum populo fidelium exhibentur dimidiata, præcipua eorum parte ac potiore defraudato? Partem illi Eccleſiæ faciunt, non totum. Quinimo ἐκκλησία de populo dicitur, excluſis ipſis Preſbyteris, in iiſdem Actis cap. xv. in Decreto primi Apoſtolorum Concilii, ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν τῇ ὅλῃ ἐκκλησίᾳ. Quod & alibi eodem ſenſu occurrit. Cur denique prima ac duodecim ſæculorum Eccleſia conſtanter hoc tenuit, ut omnes ſub utroque ſymbolo communicarent corpori & ſanguini Chriſti, nova autem & poſtrema quattuor ſæculorum ætatem duntaxat ferens, cali-

cem

cem ademit populo, id est, Ecclesiæ, solis vero eius rectoribus reliquit? Cum multi abusus circa hæc Sacramenta extiterint, partim à privatis commissi, partim publice recepti, utrique ideo publici, quia etiam in privatis tolerati ad publicæ pertinent disciplinæ corruptelam, nunquam tamen id usurpatum, ut quisquam sub una specie privatim cõmunicarit, aut Ecclesia cõmunionem in publicis synaxibus cuiquam μονομερῆ dederit. Privatorũ hic fuit abusus, receptus olim in Ecclesia, qui panẽ reservabant, & domi suo tempore comedebant. Quidam ex his panem & vinum simul accipiebant, & secum ex Ecclesia domum ferebant, ut de sorore sua Gorgonia narrat Gregorius Nazianzenus. Alii, quia molestius, portionem vini exiguam, qualis dabatur communicantibus, ferre secum, solum panem accipiebant, sed domi, cum vellent communicare, quia vinum benedicere non poterant; nec fas erat sub una specie Sacramenta suscipere, vino panem intingebant, ut ex sacrato pane vinum cum eo mixtum quodãmodo

sic

ſic conſecrationem ſuam inde traheret. Hæc omnia abuſiva, & mos ferendi domum, & privatim communicandi, cum ipſa communio perdat nomen & vim ſuam, niſi cum omnibus accepta, & in conſpectu omnium. Contra inſtitutionem Chriſti hæc invaluit conſuetudo, ex mera ſuperſtitione introducta. Nec melior illa publica fuit, qua ad ægrotos ferebant, qui intereſſe conventui non poterant, ut cum reliquis cõmunicarent. Nec ea qua moribundis dabatur pro viatico eam habituris. Non determinavit Chriſtus quãdo & quoties cõmunicandum eſſet. Dixit tantum, *τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν φάγητε καὶ πίνητε, εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. Quotieſcunque bibetis vel edetis, hoc facite in meam commemorationem.* Non definivit quoties de eo bibendum eſſet vel edendum. Non ægrotis aut in extremis agentibus dandum præcepit. Cum una cœnantibus diviſerit, ex ipſo inſtitutionis modo patet quibus voluerit ſuorum Sacramentorum communionem tradi, iis nimirum qui in una reali & locali communione eſſe poterant, qui ad eandem

mensam adstare, qui ad pacem invicem sibi dandam & osculis mutuis testificandam coire. Vlterius etiam superstitio progressa est, ut etiam crediderit dandam esse Eucharistiã mortuis. Non multo minor nec tolerabilior error, ut ante dicebã, qui suasit dandam morituris quasi viaticum. Abusivus hic mos alium abusum peperit, ut abyssus abyssum invocat, panis nimirum asservandi ad inopinatos casus, ut morientes eo possent impertiri. Vinum non asservabant, quia in exigua quantitate servatum acesceret, aut alio modo si forte corrumperetur. Ideo cum mitterent aut ferrent panem Eucharistiæ animam agentibus, ne ex uno tantum symbolo participarent, quod nefas tum fuit, Diaconi qui ferebant vel Subdiaconi, aut ipsi benedicebant apud ægrotos vinum, aut panem vino intingebant. De Intinctione habes exemplũ apud Eusebium notabile lib. VI. cap. XXXVI. in Epistola Dionysii Alexandrini. Serapion quidam erat inter lapsos ex eo Pœnitentium genere quibus in fine tantum communionem

dari

dari oportebat. Non enim tunc omnibus communiter morientibus istud viaticum dabatur, ut nunc fit, sed illis solis qui ad Ecclesiæ communionem redeundo participare Sacramentum non poterant nisi cum morerentur. Ille ergo Serapion ægrotans cum sentiret sibi finem adesse, curriculo mittit puerum suum ad Presbyterum, ut sibi Eucharistiam afferret. Currit puer, tempus noctis erat, Presbyter ipse tum æger iacebat, nec potuit venire ipse. Dat puero pauxillum ex Eucharistiæ pane asservato, præcipit ut vino intingat, & madefactam in os Serapionis instillet. Græca verba sunt, *βραχὺ τῷ παιδαρίῳ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι*. Sed quid si *εὐχαριστία* ibi accipi tam de pane quam de vino debet? Et certe omnino debet. Non enim aliter hanc vocē Græci Latiniq; veteres solent sumere quam de utroque Sacramēto corporis & sanguinis. Iustinus Martyr in Apologia secunda, postquam dixit gratiarum actionem factam à præsidente conven-

tus super panem & vinum ipsi oblatum, & post communionem ex utroque omnibus præsentibus impertitam, & absentibus missam addit, καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται εὐχαριστία. *Et hoc pabulum vocatur Eucharistia.* Nempe ex pane & vino aqua mixto constans. Sic εὐχαριστία passim in Græcis canonibus conciliorum accipitur, etiam recentiorum, ut in sexto in Trullo can. LXXXIII. quo vetatur εὐχαριστίαν dari mortuis. Vbi Zonaras notat, morem fuisse antiquum μεταδιδόναι τοῖς νεκροῖς σώμασι τῶν τελευτησάντων τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. Τοῦτο γὰρ, inquit, ὀνομάζεται εὐχαριστία. In canone Nicæno XIII. μεταχεῖν τῆς εὐχαριστίας. *Communionis gratiam tribui* Dionysius Exiguus vertit. Vocat ibidem προσφορὰν, his verbis, ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τὴν προσφοράν. *Episcopus cum examine ex oblatione dare debet.* Et loquitur ibi canon de his qui in exitu positi accipere debebant Sacramenta, quibus & mittebantur. περὶ τῶν ἐξοδευόντων. Non dubium itaque quin apud Dionysium Alexandrinum nomine εὐχαριστίας tam

panis

panis quam vinum intelligi oporteat, & utrumque à Presbytero missum Serapioni per eum puerum. Sed ideo præcepit puero madidum panem vino in os senis indere quia propter infirmitates panem sicciorem & duriorem ex asservatione factum non aliter posse videretur deglutire. Et certum est tralaticias fuisse has panis in vinum intinctiones propter hauc præcipue caussam. Sedet quia vinum haud cõmode potest asservari. Ideo & Græci hodierni in Eucharistiæ pane quam præparant pro infirmis, consueverunt in cœna Domini, hoc est, quinta feria ultimæ hebdomadis Quadragesimæ, vino eam sacrato tingere. Quia autem siccus & ex eo durus tẽpore evadit, & difficulter à moribundo manditur, solẽt in ipso actu cũ datur τῷ ἐξοδεύοντι aqua aut simplici vino madefactũ porrigere. Eo fini & apud Prosperum in ipsa Mysteriorum celebratione & participatione, particula Eucharistiæ panis tincta data est à Sacerdote cuidã energumenę. In illis locis ubi omni die cõmunicabatur non opus fuit ita tinctas μερίδας asservari propter
 infirmos

infirmos, cum de die in diem vinum & panis è communionis reliquiis posset reponi. Vbi rariores communicationes factæ sunt, & asservari longo tempore necesse fuit propter infirmos Eucharistiam, quia vinum non commode servaretur, ideo tinctum panem vino consecrato eorum gratia reposuerunt. Eum morem tingendi panis in Eucharistia pro infirmis, ad hoc ut posset vere dicere Sacerdos, *corpus & sanguis Domini nostri*, quod & Græci in illis porrigendis dicere soliti sunt, Turonico Concilio probatum damnavit Concilium Bracarense quartum. Ex eo more hoc ego tantũ disco, adeo nefas tum fuisse sub una specie communionem cuiquam fidelium dari, ut ad hos abusus potius ventum sit quam ut non institutio Domini servaretur, & integritas Sacramentis eius constaret. Antiquioribus sæculis ista tingendi vino panis consuetudo ignorabatur, sed ut satisfieret institutioni Christi & integrum Sacramentum in extremis posito exhiberetur propter difficultatem asservandi vini, Diacono

vel

vel Subdiacono qui Eucharistię panem ad infirmos portabat, potestas dabatur in re præsenti & in domo ægroti vinum benedicere, quod simul ægro porrigeret cum pane sacrato quem attulerat. Ab ea sibi tum concessa facultate præsumpserunt & licentiam in Ecclesia id faciendi. Quod vetuit canon xxv. Laodicenus his verbis, ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. *Quod non oporteat Subdiaconos panē dare, & calicem benedicere.* Ὑπηρέται sunt Subdiaconi, ut recte reddidit Dionysius Exiguus. Ergo Diaconis hoc tū licuit quod Subdiaconis licere noluerunt illi patres. Per Diaconos autē pręcipue tū portabātur ęgrotis Sacramēta cū antiquissimis Ecclesiæ tēporibus etiā per acoluthos ferrētur. Illi itaq; poterāt in domo ęgroti benedicere calicē, ut cū pane eū darēt sacrato quē attulerant. Nā circa illa tēpora in privatorū ędibus panē Eucharistiæ offerre & consecrare, Presbyteris solitum fuit. Quem morē & illa synodus abrogavit canone penultimo. Quid mirū porro si hæc tum fierēt, cū ætate Tertulliāni, cū Presbyteri nō adessent,

ad Ecclesiam tenendam, & mysteria celebranda, posset quilibet pro se Sacramenta Domini conficere, & communicare? Nec enim aliud volunt illa adeo iactata à viris doctis eius verba, in Exhortatione ad castitatē, sicut ex vetustissimo Agobardi exēplari restituta sunt. *Differentia inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis cōsessum sanctificatus. Ideo ubi Ecclesiastici ordinis non est cōsessus, & offers & tingis, sacerdos es tibi solus.* Id est, & Sacramenta corporis & sanguinis Domini conficis eaq; tibi administras, & baptizas. Nam *offerre* ibi eodē sensu intelligendum quo in illo canone Laodiceno προσφέρειν, in his verbis, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν. Sed & absolute προσφέρειν eadem notione ponitur apud Balsamonem pag. CLXXXI. & in Laodiceno penultimo προσφορὰς ἁγιάζειν, & passim in Græcis Conciliis προσφορὰ pro Eucharistia seu sacra communione, ut iam supra notavimus. Vbi autem noluerunt Diaconis licitum esse calicem benedicere in domibus ægrotorum ad exodium spectantium,

tium, tum ad illud institutum devenere tingendi panis sacrati vino sacrato, ut sic utrunque Sacramentum posset diu asservari ad usum eorum quos credebant sine viatico hinc discedere non debere. Hunc morem aliquot Ecclesiæ occidentales diu tenuere, hodie vero etiam Græcæ retinent, ut iam dictum, adeo illicitum & nefarium crediderunt mutilare tam sanctum Sacramentum, & imperfectum cuiquam fidelium impertire. Nulla certe Ecclesia fuit usque ad sæculum tredecimum tertium, neque in Oriente neque in Occidente, quæ legitime & publice memoriam celebrans Dominici corporis & sanguinis, communionem sub una specie peregerit, aut unum Sacramentum pro duobus populo exhibuerit. Vt multi abusus circa hoc Sacramentum variis temporibus extiterint, & semper aucti sint, nunquam tamen hæc publica invasit ullam Ecclesiam ullibi terrarum opinio ante illud tempus quod notavi sæculi decimi tertii, corpori tantum esse communicandum Dominico, non etiam sangui-

ni. Verum ut fuere ſemper in omnibus rebus certi homines, qui ſtudium habuere à communi via deflectere, & privam pravamque orbitam ſectari, ita & in religione plurimũ hoc genus increbuit. Sic extitere quidam circa tempora, Gelaſii Papæ qui neſcio qua de cauſa aut ſuperſtitione homines nollent ſanguini Chriſti cõmunicare. Cur hoc facerẽt, non dicit Gelaſius, ſed *ſuperſtitionem* eam eſſe dicit, & acerbe in eos invehitur, & *ſacrilegium grande* vocat, non integrum Chriſti Sacramentum percipere. Verba enim inſignia ſunt & notatu digna apud Gratianum de Conſecratione, diſtinct. 11. *Comperimus*, inquit, *quod quidam ſumta tantummodo corporis ſacri portione à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui proculdubio quoniam neſcio qua ſuperſtitione doceantur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius eiuſdemque Sacramenti ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Enimvero ſacrilegiũ eſt non leve, intervertere principalẽ partem tam ſacroſancti myſterii, & ea defrau-

fraudare divini & ſpiritualis potus ſitientes fideles. Leo papa primus Gelaſii prædeceſſor annis circiter retro quadraginta, eo nomine quoſdã Chriſtianos Μανιχαΐζοντας carpit, qui cum crederent Chriſtum aſſumpſiſſe corpus φανταστικὸν, & ſine ſanguine, ut ſuæ opinioni phantaſticæ patrocinarentur, nolebant calici communiciare, ne ſanguinem in Chriſti corpore faterentur fuiſſe. Ideo præcepit Sanctus ille papa, ut ne communio fieret ſub una ſpecie. Doctores Lovaniẽſes ex eo Leonis decreto colligi volunt & convinci, in Romana Eccleſia prius fuiſſe conſuetudinem ſub una tantum ſpecie communionis Laicorum, ſed eam tunc à Leone ſublatam, & inoleviſſe conſuetudinem commnnicandi ſub utraque ſpecie, quæ permanſerit atque duraverit uſque ad tempora beati Gregorii. Quod eſt ridiculum. Nam ſi generalis ea conſuetudo ante Leonẽ fuiſſet in Eccleſia Romana communicandi ſub una ſpecie, non deprehendi in hoc errore potuiſſent Manichæi, neque alii illi Chriſtiani, qui contendebant, Euchariſtiam

ſtiam ſine ſanguine eſſe ſumendam, quia corpus Chriſti expers eſſet ſanguinis. Nam cum ſoli corpori Chriſti cum reliquis orthodoxis communicarent, quid circa corpus Chriſti opinarētur ſciri non potuit. Præterea nec ſatis iuſta cauſa Leoni fuit propter illos mutandi moris in Eccleſia ſua probati & recepti. Eorum opinio, cenſentium Chriſti corpus eſſe exſangue, non præiudicabat fidei aliorum qui diverſum ſentiebant, tametſi ſimiliter, ut illi, panem tantum in Euchariſtia ſumerent. Cum duo faciunt idem, non eſt idem, quia diverſa cauſa ſit qua id faciunt. Reſpicienda igitur cauſa tantum, &, ſi mala ſit, ea emendanda alio modo, quam mutando effectu, qui communis eſt ex bona cauſa idem facientium. Nec ſane id fecit Leo. Nam & eius ætate Eccleſia Romana, ut reliquæ omnes orbes Chriſtiani ſub utraque ſpecie communicabant. Quod autem quidam eſſent vel Manichæi, vel cum iis idem ſentientes Chriſtiani qui volebant corpus Chriſti eſſe phantaſticum

ſine

ſine ſanguine, & ideo communionem accipere nolebãt niſi ſub panis una ſpecie, quia calicem accipientes contra proprium dogma feciſſent, hoc iis indulgeri noluit Leo, & præcepit, nemini cuiquam dandam eſſe communionem ſub una ſpecie. Falſiſſimum porro eſſe, ſub Leone eam fuiſſe conſuetudinem ſub una tantum ſpecie communicandi, multis poſſem teſtimoniis auctorum probare, ſed unus ſufficiet Hieronymus Preſbyter Romanus. Is obiit anno CCCCXX. hoc eſt, viginti annis antequam Leo primus papatum adipiſceretur, qui papa factus eſt anno CCCCXL. Hieronymus igitur ille Preſbyter Eccleſiæ Romanæ, qui ſcripſit etiam amplius quam viginti annos ante quam Leo poſſet decreta facere, de communione in commentario ad Sophoniam hæc verba poſuit: *Sacerdotes quoque qui Euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis eius dividunt, impie agunt in legẽ Chriſti, putantes, Euchariſtiam imprecantes facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe tantum ſollemnem orationem, & non Sacerdotũ merita,*

de

de quibus dicitur, & Sacerdos in quo erit macula non accedat offerre oblationẽ Domino. An quęso te nõ fuit tũ in usu calicẽ populo dare in Ecclesia Romana, cũ dixit eius Presbyter, *Sacerdotẽ sanguinẽ populis dividere?* Quid dicerent de suis Romanis illi duo papę, si nũc revivisceret? Certe Gelasius diceret, sacrilegam hanc esse eorũ hæresin, qui subtrahunt sanguinẽ populis, cũ divisio unius eiusdẽq; mysterii sine grandi piaculo non possit provenire. Leo vero etiã decerneret, non esse cõmunionẽ sub una specie cuiquã dandã quia id dogmati Manicheorũ suffragaretur, docẽtiũ, Christũ carnem assumpsisse sine sanguine; id est, phantasticam. An tam diversæ opiniones potuere producere eundem effectum? Manichæi enim, quia credebant Christi corpus sanguinem non habere; ideo sanguinem eius in Sacramento percipere nolebant: Romani nunc, quia existimant, corpus Christi quod in Eucharistia sumitur, non carere sanguine, ideo superfluum putant separatim eius sanguinem in calice Sacramentali propinatum accipere. Sed

isti

isti non minus quam illi hæretici, quatenus & contra Christi institutionem faciunt, qui unum idemque mysterium corporis & sanguinis sui sub duobus symbolis panis & vini tradidit, & ex duabus partibus perfici voluit, ut hostia, qualem se pro nobis in cruce obtulit, duabus constat partibus, corpore quod fractum est, & sanguine qui effusus est. Doctores Romani admirabilem adferunt rationem cur sub una tantum specie communicare debeant Laici, Ecclesiastici vero sub duabus. *Quomodo enim*, inquiunt, *poterat ad Laicos dici, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem? Quid est, Hoc facite quotiescunque bibetis? Si facere hic consecrare intelligamus, quemadmodū haud dubie Damascenus ac cæteri patres acceperunt, nemo bibiturus est ex calice qui non prius consecraverit. Nam dicit, quotiescunque bibetis, hoc facite. Atqui Laicum nemo sanæ mentis dixerit posse consecrare. Non ergo hoc Laicis dictum fuit. Vnde videtur inferendum, quod Laicis bibere non licet, sicut non licet consecrare, cum hoc face-*

facere in Christi memoriam iubeamur, quotiescunque calicem bibimus. In ea fuit sententia Episcopus Roffensis, cuius supra scripta sunt verba, Caietanus, Albertus Pighius, alii. Adeone homines ex pravarum opinionum semel imbutarum affectu immutari, ut de hominibus etiam bestiæ fiant? Nam quis humano & communi sensu prędi-tus ita possit verba Christi sicut ab Euangelistis & Apostolis relata sunt accipere? Quis denique vel mediocriter litterarum humanitate, & loquendi consuetudine Græcis Latinisque usitata tinctus sic etiam queat interpretari? Hęc verba *hoc facite* τοῦτο ποιεῖτε debent omnino videri referenda ad aliquid eorum quæ in ea institutione præcesserunt, à Christo fieri iussa. Dicitur primo panem accepisse, & postquam gratias egisset fregisse, tum dixisse, *accipite*, & *manducate*, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, hisq; statim subiecisse, *Hoc facite in meam commemorationem*. Hoc quod præcipit ut faciant in sui commemorationem plane relativũ est ad id quod imperavit

vit nominatim ut facerent, *accipite, manducate.* Rem ipſam tunc nude iuſſerat faciendam, nunc etiam addit qua ex cauſa velit id illos facere. *Hoc facite in meam commemorationem*: Hoc igitur relativum ad illud. Hoc generaliter dictum & imperatum cum cauſa propter quam eſſet faciendum: illud ſpecialiter, & cum expreſſione ipſius rei non addito qua gratia id fieri vellet, *accipite, edite*. Immo hæc ipſa verba, λάβετε, φάγετε, præſentem tum actum deſignant, cum dando panem & calicem Diſcipulis, præſens præſentibus, Sacramenta ſui corporis & ſanguinis inſtitueret, quæ in poſterum ſe abſente ab iis eſſent celebranda. Sed quæ ſubiunxit, *Hoc facite in meam commemorationem*, poſtquam eis dediſſet, atque edere ac bibere iuſſiſſet, tempus reſpiciunt quo id erant facturi Chriſto iam in cælum recepto. Tunc cum daret illis panem, & manducare iuberet, non in ſuam commemorationem id facere poterant, quia præſens erat, & eidem cum ipſis menſæ accumbebat: Sed quia inſtitutionem horum Sacra-

mentorũ corporis & ſanguinis ſui, per panis & vini ſymbola non ad præſens tantum ſed in futurum conſignabat ac dedicabat, poſt traditum panem, cum dicto quod eſſet corpus ſuum, qua gratia id omne inſtitueret, ac faciendum etiam præſcriberet, ſubiũxit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Id eſt, poſtquam vobis ablatus fuero, quod nunc vobis facio, facite ipſi inter vos, in mei memoriam, & paſſionis meæ recordationem. Non igitur hæc verba, *Hoc facite*, referenda ad unam aliquam actionem ex iis quæ præceſſerunt, ut ad illud imperatum, *accipite & comedite*, ſed ad omnia quę tunc egit Chriſtus. Accepit panem, benedixit, fregit, tradidit edendum, dixit eſſe corpus ſuum. Hæc inquam omnia ſimiliter Diſcipulis ſuis & omnibus fidelibus facienda præſcripſit, & quidem in ſui commemorationem, poſtquam inter homines in corpore verſari deſiiſſet. Si in calice benedicendo, cum dixit Chriſtus, τοῦτο ποιεῖτε, verbum ποιεῖν ſignificat *conſecrare*, cur aliam habebit ſignificationem quando panem tradi-

tradidit, & eiſdem plane verbis uſus eſt, dicendo, τῦτὸ ποιεῖτε? De pane quidam illud τῦτο ποιεῖτε interpretantur, *ſacrificate*. Sed eadem hac ratione populus, ut dixi, excludetur à communione panis, ut a communione calicis, ſi ſolis quibus licet ſacrificare, licet etiam corpori Chriſti communicare. Præterea in iſtis τῦτο ποιεῖτε, τῦτὸ cum hac ſignificatione quam tribuunt verbo ποιεῖν, debet referri ad vocem σῶμα quæ præceſſit in verbis Chriſti, τῦτο μου ἐςὶ τὸ σῶμα, τῦτὸ ποιεῖτε. *Hoc eſt corpus meum*, hoc facite, ſive ſacrificate. Sed quis unquam legit apud Græcos σῶμα ποιεῖν pro *corpus ſacrificare*? Apud illos σῶμα ποιεῖν, & unico vocabulo σωματοποιεῖν, eſt corpus facere, ſive acquirere, id eſt, corpulentiam. Sic & Latinis *corpus facere*, ut apud Phædrum in fabella canis & lupi:

—— unde ſic quæſo nites?
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?

Inde σωματοποιεῖν per metaphoram, quamcunque rem aut hominem augere quaſi adiecto corpore, alere, exerce-

ercere, curare, & in bonum statum perducere; qualis esse solet τῶν σωμασκούντων, & corpus facientium. Latini *facere victimam*, & *hostiam*, non solent dicere, sed *facere victima* & *hostia*, ubi subintelligendum est *sacra*. Sacrum facere ture vel victima, ut alii iam notarunt ex Servio, ad illud Virgilianum, *cum faciam vitula*. Hebręi עשה, quod est *facere*, etiam in hoc sensu usurpant, ut dicant *facere boves*, *vitulos*, & absolute *facere* pro offerre. Sed Græci interpretes qui plerunque de verbo ad verbũ Hebraica convertunt, nunquam verbum illud Hebraicũ עשה per ποιεῖν reddideũt, sed ἀναφέρειν transtulere. At ubi de calice idẽ verbũ in coenę Dominicæ institutione ponitur, τοῦτο ποιεῖτε, non potest illud ποιεῖν videri positũ pro sacrificare. Dixit Christus apud Paulum & Lucam, *Hoc poculum Novum Testamentum est in meo sanguine; Hoc facite*. Poculum vel calix quo novum fœdus sancitur, non sacrificatur. Ideo Doctores illi Pontificii hoc loco, τοῦτο ποιεῖτε non de sacrificando accipiunt, sed de eo consecran-

ſecrando. At quis unquam legit verbum ποιεῖν in hoc ſignificatu, ut pro ſacrare vel conſecrare ſumatur? Græcis ἁγιάζειν, εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν hoc dicitur; quod longe diverſum eſt ἀπὸ τοῦ θύειν, *ſacrificare.* Poſtremo Chriſtus eodem prorſus modo priuſquam traderet calicem, eum benedixiſſe, vel gratiarum actione ſanctificaſſe dicitur, ut & panem. Apud Lucam & Paulum legitur, ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων. Similiter & calicem, ſcilicet, benedixit, poſtquam cœnaſſet. Nam de pane præceſſit apud utrumque, καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε. Cum vero ſequatur protinus, ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, neceſſario ſubintelligendum eſt, εὐχαρίστησεν aut εὐλόγησε. Quod & expreſſis verbis tam apud Matthæum quam apud Marcum habetur. Apud hunc, καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς. Apud Matthæum ſimiliter, λαβὼν τὸ ποτήριον & εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis.* Sed urgent iidem Pontificii, latere omnino aliquod occultum myſteriũ, quod poſt

corpus consecratum simpliciter dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem*, & non adiecerit, *quoties manducaveritis.* At post calicem consecratum addiderit, *quotiescunque biberitis.* Nullũ in his esse mysteriũ, ipse Paulus, optimus interpres verborum Christi ostendit, cum post ea de calice verba statim subiungit, quæ æque pertinent ad panis quam ad vini Sacramentum, Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ. Ergo promiscue de pane dici posse & dictum etiam esse significat, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε, ut de calice ὁσάκις ἂν πίνητε. Duo Euangelistæ Matthæus & Marcus in commemoranda institutione Dominicæ cœnæ ne in calice quidem mentionem eorum verborum à Christo pronuntiatorum, cum poculum traderet Discipulis mentionem, faciunt. Paulus, & ex eo Lucas, in solo calice ea expressa meminit, ὁσάκις ἂν πίνητε, qui tamen declarat sequente versiculo, non minus & de pane intelligi debere, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε. Et ratio plane evidens est.

Cum

Cum enim Christus tam pane quam calice benedicendo & tradendo voluerit per ea symbola panis & vini mortis & passionis suæ à sumentibus commemorationem celebrari, an aliter ea fieri potuit in utroque symbolo quam dum panis ederetur, & calix biberetur? Dixit sane Christus in tradendo pane, λάβετε, φάγετε. Similiter & dum calicem traderet, ut est apud Matthæum, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. Ergo edendo de pane & bibendo de vino voluit memoriam suæ passionis suis renovari. Non minus itaque in pane intelligi oportet, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε, quam de vino, ὁσάκις ἂν πίνητε. Si ullum porro est mysterium, quod Paulus de calice id solummodo expressit, non aliud potest cogitari, quam quod dignior & potior ea fuerit Sacramenti à Christo instituti pars, utpote quo solo, ut sanguinem effusum repræsentāte, tota passio ac mors eius efficaciter figurata sit. An alia potest causa reddi cur & in hac sola parte Sacramenti, cum traderet calicem, dixerit Christus, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, vel τοῦτο τὸ πο-

τήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματί ἐστι, cum tamen certum ſit, non minus & in pane, quo corpus eius figurabatur pro nobis fractum, fœdus iſtud novi pacti morte eius ſancitum ſignificari. Sed quanto dignior & potior iudicabitur hæc pars Sacramenti, tanto minus ea defraudari par fuit plebem fidelium quæ Chriſti Eccleſiam conſtituit. Qui Sacerdotes & Pontifices nunc dicuntur, non ad hoc conſtituti ſunt à Chriſto Eccleſiæ ſuæ miniſtri, ut ſoli Sacramentis ab eo inſtitutis participarent à quibus cæteri fideles arcerentur, ſed propter ordinem ab eo electum, ut miniſterium ſuum exhiberent erudiendis in verbo ipſius populis, & ad Sacramenta omnia iis adminiſtranda. Quod aiunt iidem Pontificii Doctores, Damaſcenum & cæteros patres, *facere* pro conſecrare de calice interpretatos eſſe, atque ideo neminem bibere ex eo debere niſi qui panẽ conſecraverit, quęſiverim ab illis, an patres qui vixere per mille & ducentos à Chriſti paſſione annos, ita potuerint exponere, cum per illud omne tẽpus populus omnis ſemper

per ex calice biberit? Si ulli ita interpretati sunt toto illo tempore quo dixi, non propterea excludendum à poculo populum censuerunt, cũ certum sit non fuisse exclusum. Et præterea pari iure secundum hanc rationem arcendus à panis communione fuisset, quia & de pane dixit Christus cũ eum traderet suis discipulis, *Hoc facite.* Ergo nemo ex eo debuit manducare qui non prius eum cõsecravisset, vel, ut etiam explicant, sacrificavisset. Fatentur porro iidem Doctores, usq; ad tempora Alexandri de Hales qui scripsit circa annum cIↃ cc xl, à Laicis fere ubique calicem sanguinis solitũ sumi. Thomæ ætate, qui triginta circiter annos post Alexandrum scripsit, plurimæ Ecclesiæ antiquum morẽ deposuerant, sed nonnullæ tamen adhuc eum retinebant, cõmunicando sub utraq; specie. Nam commentario in Iohannem scribit, secundum antiquam consuetudinem omnes sicut communicabant corpori, ita communicasse & sanguini. *Quod etiam*, inquit, *adhuc in quibusdam Ecclesiis servatur: ubi etiam ministri altaris*

continue & corpore & sanguine communicant, sed propter periculum effusionis in aliquibus Ecclesiis servatur, ut solus Sacerdos communicet sanguini, reliqui vero corpori. Vides quam ex levi ratione tam sancto & tanti momenti Sacramento populos fidelium privare instituerunt! Non eam saltem allegat hoius mutilationis causam Thomas, quam alii inficeti Doctores falso afferũt, ideo solos Sacerdotes sub utraque specie communicare oportere, quia solis consecrare calicem liceat, id est, facere. Sed & illa quam affert Thomas non magni ponderis videtur, ut propter metum effusionis, id est, propter casum raro cõtingentem, tanta hominum multitudo ex quibus Ecclesia Christi ubique terrarum diffusa componitur; tam necessaria Sacramenti parte privetur. Nonne hæc eadem ratio facere etiam debuit, ne Sacerdotibus usus calicis, & mos eius consecrandi relinqueretur? Nam sane & sæpe potest contingere ut tremor manibus tenentis & ostendentis calicẽ Sacerdotis incidat, & eum excutiat effundatq;.

Cur

Cur ista tam inani formidine non tentata sunt pectora antiquioris Ecclesiæ patrum & Doctorum? Falsum etiam ac nugatorium, quod affirmant novitii isti Doctores, Damascenum ac cæteros patres in verbis illis Christi, *hoc facite*, *facere* interpretari pro consecrare. Qui sunt illi cæteri patres? An ulli ex tota antiquitate usque ad sæculum Christi duodecimum ita potuerunt accipere quandiu calix populis concedebatur in omnibus orbis Christani Ecclesiis? Et metus ille effusionis, & illa interpretatio qua calicem Laicis adimendum esse persuaserunt, ex eadem nata sunt opinionis pravitate, qua creditũ est, ex opere operato substàntiam vini in substantiam sanguinis tramutari. Inde metus ille effusionis, quia sanguinem esse verum Christi qui effunderetur putaverunt, qui psittaco daretur, qui simiæ, qui equo hauriendus. Quem idolatra, quem infidelis, quem Turca ebiberet. Inde etiam pro superfluo habitum calicem impertire Laicis, quia in pane per illam monstrificam transmutationis substantiarum opera-

operationem in solo pane, id est, corpore, etiam sanguis contineretur. Inde illa prodiit perversa & impia doctrina, Conciliis etiam cõfirmata, *non esse ambigendum, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie Christus est totus.* Ergo & qui calicem solum sumit, etiam corpus accipit, & qui solius panem accipit, etiam sanguini Dominico cammunicat, secundum illam prodigiosam hariolationem. Ex quo necessario concludendum est, quotiescunque fideles Laici sub utraque specie communicarent, qui mos in Ecclesia permansit per mille ducentos & amplius annos, unumquemq; semper bis corpori Christi & sanguini communicasse, etiam cũ semel cõmunionem susciperet. Nam manducando panem quilibet etiam sanguinem Christi hauriebat, & bibendo calicem etiam carnem Christi manducabat. Cum circa annum Christi millesimum ducentesimum & quadragesimum adhuc mos duraret in Ecclesia sub utraque specie communicandi, paulatim invalescente illa

illa nefaria opinione, rectores Ecclesiarum ea hæreseos contagione infecti plebibus suis calicis Sacramentum subducebant, docebantque, non esse necessarium, quandoquidem sub pane trãsmutato in substantiam Christi corporis quod non carebat sanguine, etiam calix sumeretur. Adeo intra triginta annorum spatium hæc labes pervasit omnẽ Ecclesiam, ut tempore Thomę, ut dictũ, aliquot tantũ Ecclesię retinerent priscum morem. Sed nondũ tunc tamẽ universa Ecclesia generatim depravata hũc errorẽ imbiberat, quia cõcilio aliquo generali nondũ tam pestifera doctrina sancita & cõfirmata fuerat de tollẽdo populis calice. Multi sane variis temporibus extitere pii & docti viri, & in Scripturis versati, qui impugnabant nascentem eam hæresim transsubstantiationis, & morem communicandi sub una specie. Nota est Beringarii & eius sectatorum historia, qui cum circa sæculum undecimum viveret, iam tum opinio illa de substantiarum metamorphosi in pane & vino Sacramentali obtinebat, sed non-

nondum tamen eo usque invaluerat, ut calix Laicis ab ea persuasione demeretur. Quod factum demum Constantiensis Concilii decreto quadringentis post plus minus annis. Cuius Concilii tempore Romæ ministri altaris teste Thoma Waldensi adhuc sub utraque specie communionem populo dabant. In aliis tamen plerisque Ecclesiis Europæ iam mos tum ille receptus fuerat communionis sub una specie dandæ. Quod nullo Concilio generali constitutum fuerat, sed sola consuetudine quæ ex illa persuasione de transsubstantione originem duxerat. Hussitarum secta per Bohemiam disseminata, Petrus quidam Dresensis Iacobellum Misnensem, virum litteratum & in Scriptura exercitatum & Pragæ concionatorem, cum adiisset, ostendere illi voluit quo in errore versaretur in populo suo docendo & administrandis Sacramentis, quod sub una tantum specie communionem fidelibus impertiret, contra institutionem ipsam Christi, & adeo expressa

expreſſa eius quæ apud Iohannem leguntur verba, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam.* Quibus inſtructus Iacobellus populum cœpit admonere ne deinceps communionem calicis negligere vellet, adeo nimirum neceſſariam ut ſine ea nemo poſſet ſervari, præſertim cum & legẽdo patres videret eam fuiſſe in Eccleſia veteri uſitatã, & paſſim frequentatam. Hoc ſtatim Huſſitæ amplexi ſunt. Quæ nova tum viſa eſt doctrina, & de ea relatum ad Concilium Conſtantienſe quod tunc habebatur. Quo Concilio, poſt diligentiſſimam, ut aiunt, veritatis indagationem, & diſputationem, damnata eſt, & hæretica iudicata, & univerſi qui eam ſequerentur hæretici declarati. Nonne admiratione hoc dignum eſt, atque etiam miſeratione, quomodo antiquiſſima doctrina, utpote ab ipſo Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis tradita, & ab univerſa Eccleſia per mille ducentos & quadraginta annos conſtanter uſu continuo ſervata, pro hæretica damnata ſit à Con-

à Concilio universali, & hæretici declarati qui eam sequebantur? Novitas hæc erat ducentorum circiter annorum, quam prævalere sanxerunt debere adversus usum & praxin mille & ducentorum. Nam intra ducentorum annorum spatium institutio illa Christo sub utroque symbolo corporis & sanguinis sui traditæ communionis tot sæculorum usu & praxi Ecclesię confirmata, mutationem eam & mutilationem alterius partis Sacramenti passa fuerat. Hinc etiam licet animadvertere, quomodo unus & alter id viderint quod mille homines in Concilio congregati dispicere non valuerint. Eant nunc qui conciliorum nobis generalium ἀπλασίαν & ἀπταισίαν deprædicant. Ecce duo Concilia generalia quindecim tantum annorum spatio invicem dissita, Constantiense & Basiliense, quibus pravissimus ac perniciosissimus error sancitus est, & sanctissima, atque à Christo tradita Sacramentorũ doctrina tanquam impia & hæretica condemnata. Quod ὑπερβολὴν vero reliquam nullam facit impiæ profanationis, ita se di-

ſe dicunt ſtatuere Conſtantienſis Concilii patres, quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & diſcipulis ſuis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obſtante, ſacrorum canonum auctoritatem laudabilem, & approbatam conſuetudinem Eccleſiæ ſervare, & ſervari, ut ſcilicet ſub una ſpecie communio danda ſit. Primum Concilium Hieroſolymitanum, quod ex Apoſtolis, Preſbyteris, & cæteris fidelibus ad decidēdas tunc tēporis in Eccleſiis enatas controverſias congregatū, ita poſt ſanctionem ſuper eo factam dicebat, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Quam diverſa formula uſum eſt hoc Antichriſtianum Concilium! *Licet Chriſto & Spiritu ſancto ita viſum fuerit, nobis tamen aliter videtur*. Ad hunc modum Concilia tota, eaque univerſalia, quantum in ſe fuit, regnum Antichriſti poſtremis his ſæculis promoverunt, damnando Chriſti doctrinam & inſtitutū, & pro hæreticis habendo qui eis adhæreſcerent. Iam ſi negotium agatur reconciliationis in hoc Euchariſtiæ

articulo, quomodo illud posset procedere non fateor me videre, tametsi nihil inter nos & Pontificios controversaretur præter hoc ipsum, utrum Eucharistiæ participatio integra censenda sit sine calice, an eo diminuta pro mutila judicanda & rejicienda. In tanta diversitate Sacramenti, quod communionem inter participantes ex eodem pane & ex eodem calice consociare, si idem sit, valet, nulla pax potest esse inter eos, qui non solum opinione dissident, sed etiam re ipsa, & usu Sacramentorum. Nos illis sumus hæretici qui communionem petimus sub utraque specie; nobis ipsi sunt hæreticorum deterrimi qui una nos iubent esse contentos. Nec satis erit, si pro bono pacis dicant, & in duritiem cordis nobis promittant se concessuros sub utraque communicandi libertatem. Postulamus tanquam hæreticam damnari eam sententiam, quæ statuit sub specie panis integrum Christum contineri, & sub specie vini similiter integrum eius corpus censeri; & proinde hæreticos habet qui petunt sibi dari communionem

nem sub utraque specie, cum sub una sufficiat. Habemus pro nobis Christi institutum, Apostolorum traditionem, & Ecclesiæ perpetuam praxin mille & ducentorum usu annorum confirmatam. Quid illi pro se? Consuetudinem ex prava & erronea persuasione natam, & quadringentos tantum annos pro vetustatis suæ titulo ostentantem. Dicimus vero cum Tertulliano in libro de præscriptione Hæreticorum, *Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod quis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt.* Ideo & in hoc ipso Sacramento Corinthiis tradendo Apostolus Paulus nihil de suo arbitrio illis tradere se dicit, sed, *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quo loco quinquies cum pane calicem nominat, adeo indivisa ea duo symbola in Eucharistiæ participatione esse voluit, sicut & Christus instituit. Hic vero locum prorsus ha-

bet quod idem Apostolus alibi dixit; *Itaque etiam si Angelus de cælis aliter euangelizet vobis, anathema sit vobis.* Antiquitatem porro & novitatem circa hoc Sacramentum exposuimus. Nunc quæstionis est, utra alteri prævalere, & utra alteram excludere debeat in pace Ecclesiarum componenda. Iudicat Grotius, cupientibus Ecclesiasticam restituere concordiam, eruditorum consilia audire maxime esse necessarium, *quibus & præsens Ecclesiæ status, & antiquior historia percognita.* Hoc mihi signum est, velle eum, antiquitatis maximam rationem haberi in ea pacificatione quam votis ardentibus se expetere ostendit, conglutinanda. Nam si vellet, nos sincipite cęco omni novitati occurrere, eamque ἀδιακρίτως recipere, non requireret in conciliatore suo antiquioris historiæ peritiam, quæ noceret magis quam prodesset pacis voto anhelantibus, quos partim ambiguos redderet, partim contumaces ad recipienda nova instituta. Non provocamus hic autem nostros conciliato-

res ad omnem antiquitatem, ſed ad eam quæ nova aliquando non fuit, ad eam quæ origo & principium eſt ante quod non alia fuit traditio, ad fontem ipſum, non ad lacunas lutoſas quæ cœnum illud non de cælo nec de fonte traxerunt. Non eſt antiquitas cuius initium poteſt oſtendi à prima ac principali fundatione diverſum. Quæ eiuſmodi ſunt præſtant, aliæ alias tempore præcedentes, non veritate. Vna quippe vera eſt quæ & vere antiqua, ante quam non eſt alia. In hoc autem Sacramento non quælibet novitas diſputat cum qualibet antiquitate, ſed noviſſima cum veterrima, ſed ultima cum prima, ſed inventio humana cum inſtitutione divina. Communicatio denique ſolius corporis Dominici ſub uno panis ſymbolo cum integra communicatione ſanguinis eius & corporis ſub duobus ſymbolis panis & vini. An cuiquam dubium eſſe poteſt quin hæc novitas cadere cauſa debeat & cedere loco antiquitati tam certæ & indubitatæ quæ Chriſtum habet auctorem, ſanctum Spiritũ deductorẽ,

ſciviſſe ab antiquitate, & hanc ultimorum temporum Eccleſiam Romanam non ſolum ab Apoſtolica & priorum ſæculorum Eccleſia ſchiſma feciſſe, ſed etiam confirmatam mille & amplius annorum uſu doctrinam corrupiſſe & innovaſſe. Schiſma non eſt à tali Eccleſia ſeceſſiſſe, ſed ſchiſmatis vitatio, ſed unitatis retentio, ſed ſanitatis recuperatio. Nam ut ait recte auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VI. cap. IV, ὅτι ἀποσχίζει οὐχ' ὁ τῶν ἀσεβῶν χωριζόμενος, ἀλλ' ὁ τῶν εὐσεβῶν ἀφιστάμενος. *Quod ſchiſma facit non qui ſeparat ſe ab impiis, ſed qui ſegregat ſe à piis.* Oſtendat Grotius pietatem eſſe & bonum factum Chriſti inſtituta convellere, Sacramenta violare & diminuere, ut probet nos ſchiſma male feciſſe, & votum pro pace contra tale ſchiſma eſſe faciendum. Quotidie reformantur ordines monachorum qui viſi ſunt à regula exorbitaſſe. Quomodo autem reformantur? Nempe revocantur ad præſcriptum normæ quam traditam liquet ab auctore inſtitutionis. At illa reformatio plerumque non in rebus

 magni

magni momenti posita est, sed agitur utrum fundator ordinis acuminatos cucullos an teretes esse voluerit: utrum mera nudipedalia in sandaliis indixerit, an tibias calceari permiserit: quot nodulorum iusserit esse funem quo præcinguntur, & quousque dependere. Nec mirantur, intra centum annorum spatium depravationem instituti potuisse irrepere sub tam severa regula constitutis, & voto tam rigido obstrictis ad eam servandam. An ergo mirandum, in Ecclesia tam late patẽte, ex tot partibus & membris constante quorũ plura prava sunt & mala, in laxa disciplina ad quã nemo ex voto obligatur, sed quæ ex sola voluntate custoditur, potuisse corruptelã supervenire, in tãto tot præsertim sæculorũ interstitio, tam in doctrina quam in disciplina? Si negare possunt, corruptam Ecclesiam in capite & in membris, permitto illis ut negent reformandam. Si hoc fatentur, cur corruptam inficiantur? Cur nos sine ulla reformationis spe ad eam reducere contendũt, à qua non schisma fecimus, sed à qua tanquã schismatica & hæ-

&hęretica secedere coacti sumus? Vel in hoc de Eucharistia articulo quãta labes admissa est, quãta ab institutione Christi & Apostolica traditione & praxi veteris Ecclesiæ demutatio? Vt minus in ea videatur esse vitiũ, quod tamen est maximũ, calicis detractio. Nã tracta est quasi per sequelã quamdã ex prodigiosa illa ac mõstrifica doctrina Transsubstantiationis. Inde fluxit & alia profanatio mysteriorum corporis & sanguinis Christi, & in idolomaniam horrendã eorũdem vera transmutatio. Vbi communio est apud eos quæ prorsus in hoc sacramento essentialis est ac necessaria fidelium inter se, & horum cum ministris altaris? Christus nostrum Pascha est, ut dixit Paulus, agnus ille nempe Paschalis qui immolatus est pro peccatis nostris. In cœna illa ultima qua Pascha suum celebravit cum discipulis suis, instituit Sacramẽta corporis & sanguinis sui, in commemorationem futuræ passionis & mortis suæ, & sanguinis quem pro nobis erat profusurus. Pascha Iudaicum non debuit edi nisi in frequenti convivio & ab omnibus qui eidem mensæ

accumbebant debuit participari. Non licuit ab uno so'o singulatim manducari. Vt plurimum per decurias congregabantur ad sacrificium illud agni Paschalis una cœnandum. Interdum usque ad viginti epulabantur. Iosephus: *ὥσπερ δὲ φρατρία περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν οὐκ ἐλασσόνων ἀνδρῶν δέκα, μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαίνυσθαι πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται. Quasi decuriæ ad illud sacrificium participandum conveniunt. Non enim solum licet epulari. Interdum usque ad viginti congregantur.* Ad hoc exemplum Christus cum discipulis suis cœnam suam instituit, quæ & Dominica dicta est, more plane ac ritu Iudaico. In Iudaico Paschate omnes de azymo pane gustabant, omnes poculum suum in fine cœnæ exhauriebant. Itidem fecit Christus cum panem traderet discipulis, dedit omnibus, & poculum similiter, dicens, *πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, bibite ex eo omnes.* De pane azymo à patrefamilias in celebranda Pascha singulis convivis dividebatur quanta est olivæ magnitudo. Hoc similiter fecit Christus, ex eodem pane buccellam fra-

fractam omnibus dedit. Hoc etiam postea obſervarunt omnes Eccleſiæ antiquæ, ut & omnibus nimirũ ad eandem menſam adſtantibus tam panis quam calix daretur, nemo ſine utriuſque ſymboli communicatione diſcederet, nemo adeſſet ſine participatione Sacramenti. De eſſentia itaque eſt huius Sacramenti, ſive cœnæ Dominicæ, ut non à ſingulis ſeorſim ſumatur, ut nullæ ſolitariæ ſint communiones, ut nulli ſint qui videant tantum id quod agitur, non etiam participent. Hodie quid fit apud Pontificios & quomodo hęc cœna celebratur? Nulla eſt communio, ut dixi, nec Laicorum inter ſe fidelium, nec horum cum Eccleſiæ miniſtris. Hi quotidie communicant ſoli corpori & ſanguini Chriſti, quæ & conficere dicuntur. Laici ipſi etiam ſæpius ſoli & ſeorſim communicant, & ſub uno tantum panis ſymbolo. Non de uno pane plures aut omnes participant, ſed ſinguli ſuum panem accipiunt, ſi modo panis eſt delicatum cruſtulum bracteæ de tenuitate ſimile. Olim omnes fideles omni die communicabant, aut

iubeban-

articulo, quomodo illud poſſet procedere non fateor me videre, tametſi nihil inter nos & Pontificios controverſaretur præter hoc ipſum, utrum Euchariſtiæ participatio integra cenſenda ſit ſine calice, an eo diminuta pro mutila judicanda & rejicienda. In tanta diverſitate Sacramenti, quod communionem inter participantes ex eodem pane & ex eodem calice conſociare, ſi idem ſit, valet, nulla pax poteſt eſſe inter eos, qui non ſolum opinione diffident, ſed etiam re ipſa, & uſu Sacramentorum. Nos illis ſumus hæretici qui communionem petimus ſub utraque ſpecie, nobis ipſi ſunt hæreticorum deterrimi qui una nos iubent eſſe contentos. Nec ſatis erit, ſi pro bono pacis dicant, & in duritiem cordis nobis promittant ſe conceſſuros ſub utraque communicandi libertatem. Poſtulamus tanquam hæreticam damnari eam ſententiam, quæ ſtatuit ſub ſpecie panis integrum Chriſtum contineri, & ſub ſpecie vini ſimiliter integrum eius corpus cenſeri; & proinde hæreticos habet qui petunt ſibi dari communio-

nem

nem ſub utraque ſpecie, cum ſub una ſufficiat. Habemus pro nobis Chriſti inſtitutum, Apoſtolorum traditionem, & Eccleſiæ perpetuam praxin mille & ducentorum uſu annorum confirmatam. Quid illi pro ſe? Conſuetudinem ex prava & erronea perſuaſione natam, & quadringentos tantum annos pro vetuſtatis ſuæ titulo oſtentantem. Dicimus vero cum Tertulliano in libro de præſcriptione Hæreticorum, *Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod quis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt.* Ideo & in hoc ipſo Sacramento Corinthiis tradendo Apoſtolus Paulus nihil de ſuo arbitrio illis tradere ſe dicit, ſed, *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quo loco quinquies cum pane calicem nominat, adeo indiviſa ea duo ſymbola in Euchariſtiæ participatione eſſe voluit, ſicut & Chriſtus inſtituit. Hic vero locum prorſus ha-

res ad omnem antiquitatem, ſed ad eam quæ nova aliquando non fuit, ad eam quæ origo & principium eſt ante quod non alia fuit traditio, ad fontem ipſum, non ad lacunas lutoſas quæ cœnum illud non de cælo nec de fonte traxerunt. Non eſt antiquitas cuius initium poteſt oſtendi à prima ac principali fundatione diverſum. Quæ eiuſmodi ſunt præſtant, aliæ alias tempore præcedentes, non veritate. Vna quippe vera eſt quæ & vere antiqua, ante quam non eſt alia. In hoc autem Sacramento non quælibet novitas diſputat cum qualibet antiquitate, ſed noviſſima cum veterrima, ſed ultima cum prima, ſed inventio humana cum inſtitutione divina. Communicatio denique ſolius corporis Dominici ſub uno panis ſymbolo cum integra communicatione ſanguinis eius & corporis ſub duobus ſymbolis panis & vini. An cuiquam dubium eſſe poteſt quin hæc novitas cadere cauſa debeat & cedere loco antiquitati tam certæ & indubitatæ quæ Chriſtum habet auctorem, ſanctum Spiritũ deductorẽ,

ſciviſſe ab antiquitate, & hanc ultimorum temporum Eccleſiam Romanam non ſolum ab Apoſtolica & priorum ſæculorum Eccleſia ſchiſma feciſſe, ſed etiam confirmatam mille & amplius annorum uſu doctrinam corrupiſſe & innovaſſe. Schiſma non eſt à tali Eccleſia ſeceſſiſſe, ſed ſchiſmatis vitatio, ſed unitatis retentio, ſed ſanitatis recuperatio. Nam ut ait recte auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VI. cap. IV, ὅτι ἀποσχίζει οὐχ ὁ τῶν ἀσεβῶν χωριζόμενος, ἀλλ' ὁ τοῦ εὐσεβῶν ἀφιστάμενος. *Quod ſchiſma facit non qui ſeparat ſe ab impiis, ſed qui ſegregat ſe à piis.* Oſtendat Grotius pietatem eſſe & bonum factum Chriſti inſtituta convellere, Sacramenta violare & diminuere, ut probet nos ſchiſma male feciſſe, & votum pro pace contra tale ſchiſma eſſe faciendum. Quotidie reformantur ordines monachorum qui viſi ſunt à regula exorbitaſſe. Quomodo autem reformantur? Nempe revocantur ad præſcriptum normæ quam traditam liquet ab auctore inſtitutionis. At illa reformatio plerumque non in rebus

magni momenti posita est, sed agitur utrum fundator ordinis acuminatos cucullos an teretes esse voluerit: utrum mera nudipedalia in sandaliis indixerit, an tibias calceari permiserit: quot nodulorum iusserit esse funem quo præcinguntur, & quousque dependere. Nec mirantur, intra centum annorum spatium depravationem instituti potuisse irrepere sub tam severa regula constitutis, & voto tam rigido obstrictis ad eam servandam. An ergo mirandum, in Ecclesia tam late patete, ex tot partibus & membris constante quorũ plura prava sunt & mala, in laxa disciplina ad quã nemo ex voto obligatur, sed quæ ex sola voluntate custoditur, potuisse corruptelã supervenire, in tãto tot præsertim sæculorũ interstitio, tam in doctrina quam in disciplina? Si negare possunt, corruptam Ecclesiam in capite & in membris, permitto illis ut negent reformandam. Si hoc fatentur, cur corruptam inficiantur? Cur nos sine ulla reformationis spe ad eam reducere contendũt, à qua non schisma fecimus, sed à qua tanquã schismatica & hæ-

& hęretica secedere coacti sumus? Vel in hoc de Eucharistia articulo quãta labes admissa est, quãta ab institutione Christi & Apostolica traditione & praxi veteris Ecclesiæ demutatio? Vt minus in ea videatur esse vitiũ, quod tamen est maximũ, calicis detractio. Nã tracta est quasi per sequelã quamdã ex prodigiosa illa ac mõstrifica doctrina Transsubstantiationis. Inde fluxit & alia profanatio mysteriorum corporis & sanguinis Christi, & in idolomaniam horrendã eorũdem vera transmutatio. Vbi communio est apud eos quæ prorsus in hoc sacramento essentialis est ac necessaria fidelium inter se, & horum cum ministris altaris? Christus nostrum Pascha est, ut dixit Paulus, agnus ille nempe Paschalis qui immolatus est pro peccatis nostris. In cœna illa ultima qua Pascha suum celebravit cum discipulis suis, instituit Sacramẽta corporis & sanguinis sui, in commemorationem futuræ passionis & mortis suæ, & sanguinis quem pro nobis erat profusurus. Pascha Iudaicum non debuit edi nisi in frequenti convivio & ab omnibus qui eidem mensæ

accumbebant debuit participari. Non licuit ab uno ſolo ſingulatim manducari. Vt plurimum per decurias congregabantur ad ſacrificium illud agni Paſchalis una cœnandum. Interdum uſque ad viginti epulabantur. Ioſephus: ὥσπερ δὲ φρατρία περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν οὐκ ἐλασσόνων ἀνδρῶν δέκα, μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαίνυσθαι πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται. *Quaſi decuriæ ad illud ſacrificium participandum conveniunt. Non enim ſolum licet epulari. Interdum uſque ad viginti congregantur.* Ad hoc exemplum Chriſtus cum diſcipulis ſuis cœnam ſuam inſtituit, quæ & Dominica dicta eſt, more plane ac ritu Iudaico. In Iudaico Paſchate omnes de azymo pane guſtabant, omnes poculum ſuum in fine cœnæ exhauriebant. Itidem fecit Chriſtus cum panem traderet diſcipulis, dedit omnibus, & poculum ſimiliter, dicens, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, *bibite ex eo omnes.* De pane azymo à patrefamilias in celebranda Paſcha ſingulis convivis dividebatur quanta eſt olivæ magnitudo. Hoc ſimiliter fecit Chriſtus, ex eodem pane buccellam

fra-

fractam omnibus dedit. Hoc etiam postea observarunt omnes Ecclesiæ antiquæ, ut & omnibus nimirũ ad eandem mensam adstantibus tam panis quam calix daretur, nemo sine utriusque symboli communicatione discederet, nemo adesset sine participatione Sacramenti. De essentia itaque est huius Sacramenti, sive cœnæ Dominicæ, ut non à singulis seorsim sumatur, ut nullæ solitariæ sint communiones, ut nulli sint qui videant tantum id quod agitur, non etiam participent. Hodie quid fit apud Pontificios & quomodo hęc cœna celebratur? Nulla est communio, ut dixi, nec Laicorum inter se fidelium, nec horum cum Ecclesiæ ministris. Hi quotidie communicant soli corpori & sanguini Christi, quæ & conficere dicuntur. Laici ipsi etiam sæpius soli & seorsim communicant, & sub uno tantum panis symbolo. Non de uno pane plures aut omnes participant, sed singuli suum panem accipiunt, si modo panis est delicatum crustulum bracteæ de tenuitate simile. Olim omnes fideles omni die communicabant, aut

iubeban-

iubebantur communicare. Hodie iubentur quotidie Missam audire, aut videre. Non enim audiunt quod non intelligunt. Mensa Christi conversa est in id quod nolo dicere, pro convivio spectaculum factum. Nemo quicquam ex ea edit aut bibit, sed oculos tantum pascit. Quid dicent de elevatione panis & calicis, ostensione, circumgestatione, adoratione? An negabunt esse nova, immo & novissima? Quod si Christus eodem modo Sacramenta sui corporis instituisset & Missam celebrasset, ut hodie faciunt illi qui se Sacerdotes Christi dicũt, nonne tam bono iure nos hæreticos pronuntiarent quam nullo nunc ab iis hæresios condemnamur qui sequimur Christi institutionem? De Transsubstantiatione ipsa ac sacrificio Missæ nihil addam, quia sentio me iam excessisse modum Epistolæ. Tantum pro clausula dicam quod præcipue te scire cupere ex tuis animadverti, non posse ullam pacem inter nos & illos redintegrari aut unitatem; à quibus ideo divertere necesse habuimus quia in tan-

tum

tum ipsi à Christo diversi abierunt. Aut repetant quod male omiserunt, & reforment quod deformarunt, aut patiantur nos gloriari titulo verę Ecclesię, quę æque nullo iure ipsi sibi vindicant quam nos summa cum iniuria hæreticorum nomine infamant. Non in aliis doctrinæ capitibus difficilius esset ostendere, conciliationem non posse consistere, quam in hoc de Eucharistia. Sed nolo illam præripere Clarissimo & Reverendo Riveto gloriam, cui etiam gratulor contigisse tanti nominis & famæ adversarium tam nullo negotio revincendum. Non enim memini videre alium ullum æque doctum ut ille fuit, minus tamen acrem, minus fortem, & minus solidum disputatorem. Vale, Rhenopoli, Idibus Decembribus, cIↃ IↃ C XLVI.

FINIS.

